DISSERTATIO

HISTORICO-MEDICA

DE

NECESSITUDINE, QUAE FUIT APUD VETERES INTER RELIGIONEM ET MEDICINAM.

DISSERTATIO

HISTORICO-MEDICA

DE

NECESSITUDINE, QUAE FUIT APUD VETERES INTER RELIGIONEM ET MEDICINAM.

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

Jacobi Baart de la Faille,

A. L. M. PHIL. MED. ET ART. OBST. DOCT. ORD. LEON. BELG. EQUIT.
IN FACULTATE MEDICA PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

in Academia Groningana,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI OMNIUM EXAMINI SUBMITTIT

NOLLE DIRKS SIJBRANDI,

HARLEMENSIS.

DIE XII JUNII MDCCCXLI, HORA XII.

AMSTELAEDAMI,
APUD J. D. SIJBRANDI.
MDCCCXLI.

— als die älteste Tochter der Religion erscheint die Heilkunde, und weckt, die irdischen Mittel versmähend oder unterordnend, mit einem Strahle des mütterlichen Geistes die Heilkraft der Seele auch zur Ueberwältigung der Krankheit, welche den Leib befällt. Andacht, Begeisterung und Glauben vollbringen dann das Werk der Heilung, für welches später der Verstand und die Kunst des Menschen allein die Heilkraft der Natur in Anspruch nimmt.

Friedländer, *Vorlesungen über die Geschichte der Heilkunde*, Heft I. p. 18 sq.

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

S. K. Sijbrandi,

IN ECCLESIA TELEIOBAPTISTARUM HARLEMENSI VERBI DIVINI INTERPRETI,

ET

FRATRI CARISSIMO, AMICISSIMO

K. Sijbrandi,

PHIL. THEOR. MAG. LITT. HUM. DOCT. IN ECCLESIA EADEM VERBI DIVINI INTERPRETI

VIRIS PLURIMUM VENERANDIS

HANC QUALEMCUNQUE DISSERTATIONEM

SACRAM ESSE VULT

Auctor.

PRAEFATIO.

Siquis non solum argumentum hujus dissertationis inspexerit ejusque conspectum, sed etiam, quae de eo disputavi, perlegerit, eaque, quae in capitibus continentur, comparaverit cum iis, quae argumentum promittere videtur, mirabitur forte, me tantummodo egisse de necessitudine inter religionem et medicinam, qualis apud Hebraeos et Graecos fuit, omissis caeteris omnibus gentibus, quin etiam Aegyptiis, celeberrimo illo antiquitatis populo. Dixi autem in hujus dissertationis introitu, me ita brevitatis caussa fecisse: addere potuissem, rei difficultatem me retinuisse, ne de pluribus, quam duabus illis gentibus agerem; quae difficultas quum jam in Hebraeis et Graecis pertractandis non parvi esset aestimanda, in aliis mihi major videbatur, quae viribus meis superari posset. Et profecto, etiam postquam argumentum limitavi, permultae sese mihi obtulerunt difficultates, quae saepius tantae fuerunt, ut plus semel, metuens, ne deficerem in opere ad finem usque rite perficiendo, jam in eo essem, ut ab illo desisterem, aliudque sumerem argumentum: quod quominus facerem, impediverunt argumenti suavitas mihi valdopere arridens, et amicorum adhortationes, quibus eadem placebat suavitas. Quae quum ita sint, spero fore, ut juveni veniam denegare nolit benevolus Lector pro iis, quae minus recte a me sunt dicta, et peto, ut, si quae, dictu dignissima, a me vel omnino non, vel minus accurate fuerint pertractata, negligentiae ignoscat.

Et haec sunt, quae de ipsa dissertatione praemonenda existimavi: restat, ut eos, quos durante curriculo Academico praeceptores, fautores et amicos habui, valedicam, iisque gratias agam pro bonis permultis, quae iis accepta refero. Primo autem loco vos compello, Praeceptores egregii, Viri clarissimi, quorum lectionibus interesse in Academia Groningana mihi contigit: accipite gratias, quas vobis deberi sentio pro eximiis praeceptis et consiliis, quibus me scientiarum non solum initia docuistis, sed etiam earundem amore imbuere conati estis. Deus Omnipotens vestram vitam incolumem beatamque servet, ut sitis diu decus hujus Academiae et gloria patriae nostrae!

Imprimis tua beneficia grata mente recordor, Promotor aestumatissime SEBASTIAN; *amicitiam et familiaritatem, quibus me ab eo inde tempore, quo primum scholas medicas ingressus sum, ad hoc usque, quo studiis Academicis finem sum impositurus, es prosecutus, consilia et monita, quae permulta mihi maxima cum comitate es impertitus, semper meminisse juvabit.*

Grato etiam animo reputo, quae vobis debeo, Viri clarissimi SURINGAR *et* TILANUS, *Instituti Clinici et Athenaei Amstelaedamensis Professores. Cum enim, examine ultimo in Academia Groningana peracto, vos adiissem, ut ad aegrotantium lectos morborum symptomata eorumque curationem ulterius cognoscerem, summa me excepistis humanitate et per omne temporis spatium, quo mihi Nosocomium Amstelaedamense frequentare contigit, maxima comitate prosecuti estis et mecum talia communicastis, qualia in bono medico requiruntur. Quorum omnium gratam memoriam nullum ex animo delebit tempus!*

Vos denique, quibuscum in alma Academia Groningana amicitia et sodalitate conjunctus fui, laetor semperque laetabor meminisse, quam ex vestra consuetudine habui utilitatem et delectationem: valeatis et res vestras prosperas agatis, neque mei immemores sitis!

CONSPECTUS.

INTROITUS.

« Quotquot unquam a condito mundo vixerunt homines, uno omnes ore ac consensu medicinae initia Diis immortalibus adscripserunt (1).»

Neque mirum est, Diis immortalibus artem nostram salutarem primas origines duxisse. Homines enim, quamdiu paucis contenti « naturae convenienter » vivebant, raro morbis corripiebantur, et morbi ipsi, siquando aliquos invasissent, plerumque ex genere acutorum erant, eorum scilicet, qui vel brevi tempore morte terminabantur, vel, obortis moliminibus criticis, naturae medicatricis ope sanabantur. Jamvero homo incultus, cum talium effectuum caussas sufficientes perspicere non posset, morbos et morborum sanationes iisdem numinibus tribuebat, quibus etiam tempestates, terrae motus, aliaque naturae phaenomena tribuere solebat. Et quemadmodum haec a Deorum ira humano generi immitti credebat, ita et morbos poenas habebat pro peccatis contra Deos omnipotentes commissis, quae non, nisi Diis placatis, tollerentur. Quae quum ita essent, non potuit, quin sacrificia aliaque, quibus Dii placari credebantur, ad morbos avertendos adhiberentur, ipsaque sanatio Diis placatis adscriberetur. Itaque inde ab ini-

(1) Magnum Theatrum vitae humanae, auctore BEYERLINCK, *Coloniae Agripp.* 1631. T. V. p. 369.

itio arctissima erat necessitudo inter religionem et medicinam, quae, quidem imminuebatur, cum philosophi hanc magis elaborare coepissent, attamen Plinii etiam tempore tanta fuit, ut multifariam ab oraculis medicina peteretur (2).

Fuit itaque apud veteres quaedam inter religionem et medicinam necessitudo. Eam exponere conabor, idque ita, ut, missis brevitatis caussa caeteris fere omnibus gentibus, solum duas imprimis pertractem easque, quarum religiones quam maxime differebant: nam sic magis patebit, quam arcte apud veteres religio et medicina secum invicem fuerint conjunctae, etiamsi ipsae earum religiones magnopere a se differrent; et magis mihi attendendum esse existimavi ad gentium religionem, quam ad earundem historiam politicam. Duas autem praecipuas religionis formas offendimus: gentes vel plures Deos vel unum colebant: hujus religionis formam *Monotheismum*, illius *Polytheismum* vocamus. Cum igitur duas gentes pertractare vellem, quae religione quammaxime a se invicem differrent, unam sumendam esse putavi ex iis, apud quas unus tantum Deus colebatur, alteram ex iis, quae plures Deos habebant: quammaxime enim Polytheismus a Monotheismo differt. Nam si historiam consulamus, eas tantum gentes ad Monotheismum pervenisse reperimus, quibus ille divinitus erat revelatus, sed ab iis, quae sibimetipsis fuerant relictae, plures adoratos Deos: quin ne gentes quidem, apud quas scientiae artesque imprimis colebantur, sese ipsae ad Monotheismum extollere potuerunt, etiamsi unus alterve ex sapientissimis et optimis, qui apud illas vivebant, hominibus aliquam notionem de uno vero Deo habuerit (3).

Apud veteres sola Hebraeorum gens notionem de uno Deo habebat: si igitur de necessitudine agimus, quae apud veteres inter Monotheismum erat et medicinam, non possumus, quin

(2) Plin. Hist. Nat. Lib. XXIX. c. 1.

(3) Meiners Allgemeine kritische Geschichte der Religionen, 1er Band. p. 52.

hanc necessitudinem, qualis apud Hebraeos erat, tractemus. Quod reliquum est, cum cultus unius Dei non nisi per religionis alicujus institutorem apud gentes sit ortus (4), Moses autem cultum unius Dei apud Hebraeos instituerit, in pertractanda necessitudine religionem inter et medicinam apud hanc gentem intra limites Mosaicae religionis me tenebo, missis iis, quae, ex consuetudine cum aliis gentibus accepta, ad religiosas Hebraeorum opiniones potius, quam ad cultum unius Dei pertinere mihi videntur, qualia sunt v. c. ea, quae de morbis ita dictis daemoniacis imprimis apud Evangelistas legimus.

Quod ad Polytheismum attinet, cum, Hebraeis exceptis, caeterae omnes gentes plures adoraverint Deos, ipse diu cogitavi de gente, de qua speciatim agerem. Attamen Graeci mihi omnium maxime arridebant, cum ob arctissimum vinculum, quod horum culturam inter et nostram interest, tum etiam quoniam rationalis medicina a Graecis originem duxit, adeoque Graecorum historia evidentius vim maximam indicat, quam religio in medicinam elaborandam exercuerit. Graecos itaque praesertim pertractabo, ut necessitudinem indicem, quae erat inter Polytheismum et medicinam; adeo tamen, ut ex aliis gentibus aliquando talia sim traditurus, quibus ea, quae de Graecis dixero, magis illustrentur. Tandem quod rerum distributionem attinet, principium minus a gentibus, quam ab ipsa religionis forma duxi; dicam itaque in priore parte hujusce dissertationis: *de necessitudine, quae apud veteres erat inter Monotheismum et medicinam:* in altera *de necessitudine, quae apud veteres erat inter Polytheismum et medicinam.* Quibus omnibus expositis, pancis ea addam, quibus inter se conveniebat utraque necessitudo, eaque, quibus a se differebat.

(4) Meiners, l. c. p. 30.

PARS PRIMA.

De necessitudine, quae erat inter Monotheismum et medicinam.

SECTIO PRIMA.

DE NECESSITUDINE, QUAE ERAT INTER DEUM ET MORBOS.

CAPUT I.

Morbi erant poenae a Deo immissae.

§ 1.

Summa inter religionem et medicinam necessitudo inde ab initio erat apud Hebraeos. Nam cum in morbos raro inciderent, adeoque Tacitus suo etiam tempore eorum corpora salubria et ferentia laborum diceret (5), quod certe terrae et aëris salubritati est tribuendum (6), ipsi corporis affectiones facile Deo suo adscribebant, a quo universe omnia, quae praeter naturam accidere existimabant, effici opinabantur. Sed praeter hanc generaliorem caussam, qua re Deum suum morborum

(5) Tacit. Hist. Lib. V. c. 6.
(6) Niebuhr, Beschreibung von Arabien. p. 129.

auctorem agnoscebant, quamque communem habebant cum caeteris omnibus gentibus, alia erat, quae apud nullam nisi apud Hebraeorum gentem existere poterat. Deus Jehova hujus gentis κατ' ἐξοχὴν erat Deus: hunc populum *suum* praesertim Ipse Jehova dixerat. Ne notio unius veri Dei prorsus e terra deleretur, Abrahami prognatos sibi selectos tanquam populum sacerdotalem sumsit, apud quos suus cultus integer servaretur, et ex quibus aliquando Servator mundi exorturus esset. Mirum in modum praestitit promissa, quae proavo Abrahamo fecerat, et Hebraeos ex servitute Aegyptiorum liberatos incolumes in Chananaeorum terram duxit eosque ad debellandos incolas auxilio suo adjuvit. Ipse leges populo suo dedit et saepius prophetas, viros divino munere functos et divina auctoritate praeditos, misit, ut cum populo suam voluntatem communicarent, vel poenas pro peccatis annuntiarent. Quae cum ita essent, non potuit, quin Hebraei omnia, quae bona aut mala sibi acciderent, tribuerent Jehovae, e Cujus ira omnes calamitates imprimis pendere existimabant. Quae in universum cum vera sint, quin sint verissima in morbis, quis est, qui dubitat? Morbi enim, cum, nulla saepe caussa manifesta praegressa, homines sponte quasi invaderent, majore etiam jure soli Dei irae adscribebantur, quam acceptae ab hostibus clades, quarum caussas ante oculos habebant.

§ 2.

Ipse Jehova, morbis eos correptos iri, qui jussis non obtemperassent, hisce verbis minatus erat: « Quod si mihi non obtemperantes non exsequemini haec jussa: si meis institutis repudiatis, — Ego vicissim faciam, ut vos et tabis et febrium et oculos consumentium et animos discruciantium pernicie persequar (III. Mos. XXVI. 14—16)." Et aliis locis: « Infestabit vos Jehova tanta peste, ut vos funditus de terra tollat; affi-

ciet vos ulceribus Aegyptiis, fico, scabie, prurigine insanabili: amentia, coecitate, stupore cordis; diris et vobis insanabilibus ulceribus in genibus, in tibiis, a planta ad verticem (V Mos. XXVIII. 20. 26. 34)." Neque his tantum morbis, sed generatim omnibus eos, qui non obtemperassent, afficeret: «Tum si quis morbus, si quae clades est in hujus legis libro non scripta, ea vos ad vestrum usque exitium infestabit (Ibid. 60)." Et si Hebraeos oberrantes in deserto contemplemur, saepius morbis tanquam suppliciis a Deo immissis pro peccatis eosdem affectos legimus. Quum enim omnis Israëlitarum multitudo in Mosem et Aharonem conspiraret, cladem (pestem) in populum misit Jehova, qua sunt mortui quatuordecim millia septingenti (IV. Mos. XVI. 40. sqq.). Ita etiam soror Mosis Maria (Mirjam) leprosa fiebat et nivi similis, quum contra fratrem oblocuta esset propter ductam ab eo uxorem Aethiopissam, adeoque contra Jehovae vatem loqui non metuisset. (IV. Mos. XIII. 1. 10. Cf. 6 et 8.)

§ 3.

Neque mutabatur haec ratio, quo tempore jam Chananaeorum terram occupaverant Israëlitae et sub regum suorum imperio vivebant; nam tum etiam Deus morbos saepius mittebat, ut, qui ab Ipso defecerant, punirentur. Quin, quum rex David, ante omnes a Jehova delectus, superbia ductus populum numerari jussisset, per prophetam Gadem ei vel fames, vel bellum, vel pestis annuntiabatur: sed, quum David dixisset, se in manus Dei cadere, quam in hominum malle, pestis mittebatur in Israëlem, qua septuaginta millia virorum moriebantur (II Sam. XXIV. 12—16. Cf. 1. Chron. XXI. 10—15). Totus itaque populus poenas dedit pro iis, quae unus rex contra Jehovam peccaverat. Sub imperio regum, postquam regnum in duas partes fuit divisum, multa exempla morborum offendimus, qui tanquam supplicia in populum ejusque reges im-

pios immittebantur: ex quibus tamen, ne longior sim, unum tantummodo Jorami morbum narrabo. Quum scilicet Joramus Judaeorum rex, non Josaphatum patrem pium imitatus, sed Israëlitarum regum exemplo non modo Judaeos et Hierosolymitanos ad Achabicae stirpis impudicitiam adduxisset, verum etiam fratres interfecisset, propheta Elia ei tantum morbum intestinalem annuntiabat, ut intestina ejicerentur. Morbus per biennium durabat et praeterlapso hoc tempore, ejectis cum morbo intestinis, mortem afferebat (II. Chron. XXI. 12, sqq.). Rogarunt, quisnam fuerit hic morbus; res obscura est, neque ita solvenda, ut dubia relinquantur nulla (7): quamvis me judice non assentiendum sit doctissimo Harle (8) dicenti, Jorami morbum, quippe qui esset a Deo immissus, non comparari posse cum aliquo noto morbo. Neque etiam ab omni parte cum iis consentio, qui morbum illum vel fluxum hepaticum cum colliquatione ipsius substantiae hepatis per suppurationem (9), vel gravem dysenteriam, in qua intestina ulcerantur (10), vel fistulam ani (11) fuisse, existimarunt: licet ii proxime ad veritatem accessisse mihi videantur, qui de gravi dysenteria cogitarunt. Forte rex correptus fuit gravi inflammatione mucosae intestinorum cum formatione pseudomembranarum, quae per anum evacuatae speciem intestinorum referebant. Inflammationem hancce autem non resolutam in corpore cachectico, cum membranam quam maxime ad inflammationes impuras dispositam corripuisset, secuta est ulceratio chronica intestinorum cum diarrhoea colliquativa, quam, postquam per biennium duravit, secuta est mors sive lenta

(7) Schmidt, Bijbelsche Medicus, II. p. 631—633.

(8) Jonathan Harle, An historical essay on the state of Physick in the Old and New Testament. 1729. p. 102.

(9) Reinhard, Bibelkrankheiten. T. II. p. 50.

(10) R. Mead, Medica Sacra, ed. *Lugd. Bat.* 1767. p. 29.

(11) Hieronymus Jordan, apud Bartholin. de morb. Biblicis. p. 65.

ex virium prostratione, sive subita ex perforatione tunicarum intestinorum. Caeteroquin negari nequit, casus occurrere, in quibus non solum pseudomembranae, sed revera intestinorum portiones per anum sunt evacuatae (12): sed non credo, ad hos Jorami morbum esse referendum. Tales intestinorum portiones enim fere semper praegressis ilei symptomatibus evacuabantur, et in plerisque casibus ante *diem trigesimum*, postquam morbi prima symptomata sese palamfecerunt: Jorami morbus autem per *biennium* duravit, ideoque potius chronicum decursum habuit: praeterea de morbo intestinorum tantummodo est sermo, verum non de vomitu pertinaci, qui ileum concomitari solet.

§ 4.

Tales morbos, de quibus modo locuti sumus, qui ab ipsis Jehovae vatibus erant annuntiati, non potuit, quin irae Jehovae tribuerint, adeo ut ipsam pestem angelum, qui populum percutiebat, vocarent (II. Sam. XXIV. 16.); unde factum est, ut et alios morbos, licet non tanquam poenae essent annuntiati, a Jehova immissos esse dicerent. Sic de morbo illo mentali, quo rex Saulus affectus est, quemque plerique auctores melancholiam fuisse arbitrantur (13), legimus: « Jehovae spiritu Saulus erat destitutus," vel: «malo Jehovae spiritu erat correptus." (I. Sam. XVI. 14. sq. XIX. 9); licet caussa naturalis hujus morbi cuivis rem accuratius contemplanti facile in eo videatur, quod Jehova a Sauli posteris regnum Israëlitarum nuper ademerat; ne dicam, quod recte Jahn (l. c.) monuit, cum natura poenarum a Jehova immissarum non convenire, ut illae poenae pulsandis fidibus tollantur.

---

(12) Doct. Thomson 35 casus collegit (Schmidt's Jahrbücher, Ier supplementband. *Leipzig* 1836. p. 122, sq.). Vid. etiam casus in Froriep, Neue Notizen Tom. VII. 1838. p. 31. In fere omnibus casibus simul cum portione tubi intestinalis evacuabatur frustulum mesenterii vel mesocoli.

(13) R. Mead, Med. sacr. p. 24 sq. — Reinhard, Bibelkr. T. I. p. 131. — Jahn, Biblische Archaeologie, I Th. II Bd. p. 397 sq.

§ 5.

Nullus morborum, quibus Jehova populum pro peccatis puniebat, erat frequentior, quam lepra et pestis. Hanc ad eos pertinere, quos Ipse Jehova populo comminatus erat, jam diximus (14). Et licet forte quae apud veteres pestes vocantur, universe saepius pro morbis epidemicis sint habendae, tamen non est, cur non credamus, veram pestem saepe Israëlitas infestasse. Nam tempore, quo nunc vivimus, Syria praesertim et Aegyptus prae caeteris omnibus terrae regionibus peste devastantur. Et nullus certe morbus magis idoneus erat, qui pro effectu Dei irae haberetur, quam ipsa pestis, quae hominem sanissimum subito corripit, eumque, paucis horis praeterlapsis vel uno alterove die, e medio tollit, oborto horrendo anthrace, vel petechiis et vibicibus cum symptomatibus febris putridae, quaeque tanta vi aliquando saevit, ut mox totas regiones depopuletur. Jahn (15) Poncetum citat, qui audiverat, e peste, quae anno 1696 Aegyptiorum urbem Cayrum infestavit, quotidie decem millia hominum mortuos fuisse; et Prosper Alpinus (16) narrat, in eadem urbe anno 1580 sex septemve tantum mensium spatio quingenta millia hominum e peste periisse. — Alter horum μάστιγων (flagellorum), lepra scilicet, licet non acutus, sed chronicus morbus, tamen fere aeque insanabilis erat, quam ipsa pestis. Neque facile morbum invenias, qui turpior sit adspectu, quam lepra Judaeorum, quae quam plurimum cum morbo convenit, qui a Celso (16*) λεύκη et ab Arabibus Baras vocatur; et quem optime descripsit vir doctissimus Robinson, postquam ipse eum in India obser-

(14) Cf. praeterea: Jer. XIV: 12. XV: 2. XXI: 7, 9. Ezech. V: 12. 17. VI: 11, 12. VII: 15. Amos IV: 10, etc.

(15) Biblische Archaeologie, p. 391.

(16) De Medicina Aegyptior. Lib. I. c. 15.

(16*) Celsus de Medicina, Lib. V. c. 28.

vavit (17). Facie ulceribus foedis obtecta, digitis manuum pedumque sensim sensimque decidentibus, summa insensilitate cutis et mentis hebetudine, miser leprosus per annos integros vitam parum optabilem trahit, ex societate caeterorum hominum expulsus, donec tandem mors inevitabilis sub symptomatibus colliquativis insequatur. Saepissime hunc morbum in sacris scriptis offendimus. De sorore Mosis Maria jam locuti sumus. Eodem morbo, vel forte potius elephantiasi, affectus fuit Judaeorum rex Huzzya, quum in templum Jehovae ingressus esset, ut super altare adoleret suffitus, quod solis sacerdotibus licitum erat (II. Chron. XXVI. 16 sqq.): morbo autem hocce laborabat ad diem mortis usque. Mira profecto est in hocce casu subitanea morbi eruptio; nam plerumque non nisi post prodromos sese palamfacit: sed eodem tempore, quo peccaverat, «ecce erat leprosus in fronte sua"; et si jam antea vestigia morbi adfuissent, sacerdotes regem a templo inde ab initio certe amovissent. Sed observandum est, non opus esse, ut de lepra statim plane perfecta hic cogitemus: nam si sacerdos aliquod signum *suspectum* in fronte detegeret, jam rex ex templo erat amovendus. Accedit, quod animi pathemata eruptionem leprae promoveant, uti Martin narrat de puella, quae brevi tempore, postquam in puteum erat delapsa, prae terrore lepra afficiebatur, et doctissimus Lordet de viro, apud quem per metum prima symptomata morbi prodierant (18). Rex autem animi pathemate affectus fuisse, indignatione nimirum, (vs. 19.) expressis verbis dicitur, quia sacerdos primarius cum sacerdotibus octoginta ipsi obstiterat, ne adoleret super altare suffitum. Forsan jam antea in rege praedispositio ad morbum

(17) Praktische Darstellung der Hautkrankh. nach dem Syst. des Dr. Willan, von Th. Bateman, übers. von Calman, mit Anmerk. von Blasius. *Leipzig*, 1835. p. 357.

(18) Alibert, Description des Maladies de la peau. Tom. II. *Bruxelles*, 1825. p. 134.

aderat, cujus prima symptomata per iram in lucem sunt vocata (19). Aliud exemplum leprae supplicii loco immissae erat illud famuli prophetae Elisaei Gehazii, qui, cum Nahamanem fraudasset, lepra puniebatur, quae erat niveae albedinis, quaeque in ipso et in ipsius progenie semper haereret (II. Reg. V: 27.); ad signa enim essentialia leprae Judaeorum (de quibus fusius agam in capite de sacerdotibus) pertinebat color niveus et indoles haereditaria.

§ 6.

Sed non de omnibus morbis, quos tanquam poenas Deus immittebat, pro certo dicere valemus, cujusnam naturae fuerint. Hoc imprimis valet de morbo illo podicis, quo Palaestini afficiebantur, quum captam arcam divinam Azotum portavissent (I. Sam. V: 6.). Nonnulli, ad quos Michaëlis pertinet (20), vocem Hebraicam per haemorrhoïdes coecas vertunt; Harle (21) morbum haemorrhoïdalem vocat, sed, utrum externae an coecae fuerint, non dirimit. Pugnat vero contra hanc opinionem, quod haemorrhoïdes non ad morbos epidemicos pertinent, neque ad tales, quos facile mors insequitur. Alii itaque de gravi dysenteria cogitarunt (22); sed quum non imagines aureae dysenteriarum confici possint, alii, hancce dysenteriam cum haemorrhoïdibus coecis a tenesmo oriundis et ficis complicatam fuisse, opinantur (23). Morbus hicce etiam ad eos pertinet, quos Jehova iis, qui legibus suis non obtemperarent, annuntiaverat (V. Mos. XXVIII: 27.) sc. ad ulcera

(19) Errat certe Wedeln (Exercitation. medico-philol. Cent. 2. Dec. 4. Exerc. 9. p. 98.) qui morbum regis Huzzyae pro syphilide habet.

(20) Cf. Jahn. o. c. p. 352.

(21) O. c. p. 98.

(22) Joseph. Antiq. Jud. VI. 1. 1. "ἀπέθνησκον γὰρ ὑπὸ δυσεντερίας."

(23) Reinhard, o. c. p. 114. sqq.

phagadaenica, quare per anthracem (etterbuil) vocem Hebraicam vertit Cl. van der Palm (24). Lichtenstein (25) locum citatum per alium (1. Sam. VI: 5.) explicat, ubi legimus, Palaestinos imagines horum tumorum et murium, qui terram devastarant, fecisse, easque Deo Israëlitarum dedisse. Credit, voce Hebraica significari tumores, qui morsu animalculi alicujus, quod ***Solpugam fatalem*** nuncupat, efficiantur. Generis hujus Solpugae, quod apud alios ***Galeodes*** vocatur et ad Pseudoscorpiones, unam ex Araneideorum familiis, pertinet (26), morsus valde venenatus habetur, adeo ut tumores exinde orti saepius mortem ducant. Secundum Lichtenstein animal hocce imprimis hominum anum et genitalia infestat: praeterea et colore et magnitudine et aliis sorici non est dissimile, adeo ut primo adspectu cum eo possit confundi. Ex hisce igitur animalibus, si auctori laudato fidem adjungamus, morbus podicis Palaestinorum erat ortus, eorumque imagines simul cum arca Bethsamem missae sunt. Equidem rem dijudicare non ausim: sed res a me jam ideo non erat omittenda, quippe qua certissime probetur, apud veteres Palaestinae incolas, aeque ac apud Graecos et Romanos, in usu fuisse, post sanationem alicujus morbi donaria votiva (ἀνάθηματα) Diis mittere.

CAPUT II.

Morbi a Deo sanabantur.

§ 7.

Non multis opus est verbis, ut ostendam a Deo, qui mor-

(24) Vid. ejus versio hujus loci in ling. Belg.

(25) Cf. Jahn. o. c. p. 353.

(26) J. van der Hoeven, Handboek der Dierkunde. I Deel. II St. p. 375.

bos miserat, etiam eorum fuisse sanationem. Si enim morbi erant supplicia pro peccatis inflicta, nemo, nisi qui inflixerat eos, eosdem tollere poterat. Et revera in omnibus iis casibus, in quibus expressis verbis de morbis a Jehova puniendi caussa inmissis mentio est facta, si quis postea hisce liberaretur, Deus Jehova semper liberator exstitit. Sic qui Mariam lepra affecerat, Mose deprecante, eandem morbo sanavit Jehova; et pestem, qua populum conspirantem infestaverat, ab eodem sustulit, postquam Aharon pro populo sacrificavit et supplicavit. Eodem modo Jehovae iram placavit rex David, ut a peste populus liberaretur (27). Quin Hebraei ipsi dicunt, morborum sanationem a Jehova effici (Ps. CIII. 3.) et esse medicinam ab eo (Ecclesiastic. XXXVIII. 2.); quare et rex Salomo in hymno, quem, arca in Templum delata, in Jehovae honorem cantavit, non solum deprecatus est, ut famem aliasque clades auferret, sed etiam pestilentiam, si populus manus ad hocce templum extenderet. (I. Reg. VIII. 37. sqq., II Chron. VI. 28. sqq.)

§ 8.

Quae licet ita sint, iis tamen non assentior, qui, uti Harle (28), dicunt, Deum totam curationem morborum internorum sibi arrogasse, sed hominum arti reliquisse curam externorum, quippe qui curatu sint faciliores. Argumentum petunt ex iis, quae Ipse suo populo Jehova dixerat (II. Mos. XV. 26): «Si sibi Jehovae, Deo suo, dicto audientes essent, suaeque et voluntati parerent et praeceptis intenderent et instituta omnia servarent, sese iis nullum morbum, cujusmodi Aegyptiis importasset, esse illaturum: sese enim eum esse Jehovam, qui iis mederetur." Sed in his verbis, me judice, minus de morbo-

(27) Cf. IV. Mos. XII: 13. sqq. XVI: 45. sqq. II. Sam. XXIV: 25. — Cf. I. Chron. XXI: 26.

(28) An historical Essay etc. p. 5.

rum curatione, quam de morbis avertendis est sermo, quos, ut et caeteras omnes clades ab Israëlitis erat arcturus Jehova, si legibus Ipsius obtemperassent. Quae opinio etiam confirmatur iis locis, ubi eadem promissio repetitur, uti v. c. (II. Mos. XXIII. 25): «Et Jehovam Deum tuum colito, et Is tibi cibum potionemque exuberabit et morbos a te depellam;" et (V. Mos. VII. 15.): «Praeterea tot malos illos Aegypti morbos et languores auferet a vobis Jehova, neque iis vos afficiet, sed eos omnibus hostibus vestris immittet." Si enim omnia haec loca a me citata secum invicem comparemus, sensus absque dubio eo redit: «Ego Deus vos a morbis immunes servabo:" de morborum vero medela nusquam est sermo. Nec etiam cum iis sentio, qui putant, Theocratiam Israëlitis quasi fuisse impedimento, quominus medicinam colerent; quibuscum mihi Sprengel, vir celeberrimus, facere videtur, cum dicat, tempore Davidis nullam scientiam apud Israëlitas exstitisse, nisi legum explicationem (29). Nam, licet prae caeteris omnibus gentibus sub Dei essent tutela, qui ipsos ab omnibus malis erat defensurus, tamen inde non sequitur, Israëlitas ipsos nihil contulisse ad clades amovendas. Idem enim Jehova iis de hostibus victoriam promiserat (V. Mos. XXVIII: 5.), si legibus suis obtemperassent: nec tamen artem militarem neglexisse Israëlitas, ubivis hujus populi historia abunde docet; neque agriculturam, licet Jehova dixisset, omnes eorum res prosperas fore, eosque ipsos tum in urbe, tum ruri felices futuros et bonis in pecoris et in soli foetu cumulatos iri (V. Mos. XXVIII: 3, 9.). Certissime apud Hebraeos medicina practica in initio non nisi mor-

(29) Versuch einer Pragm. Gesch. der Arzneykunde. T. I. ed. 1821. p. 108. Etiam L. H. Friedländer, (Vorlesungen über die Geschichte der Heilkunde, Heft I. *Leipzig*, 1838. p. 30.) dicit, tempore Salomonis artes scientiasque nondum a populo cultas fuisse. Non plane sibi constare videtur mihi auctor, quum (p. 28.) de scientia Mosis dixisset: "— und darum haben zu allen Zeiten die grossen Kenntnisse der Natur und Heilkunst, welche der Gesetzgeber Israëls an den Tag legte, Bewunderung erregt." Cf. etiam p. 29.

borum externorum curationem complexa est: sed idem de omnibus gentibus valet et ex rerum natura sequitur. Artem certe medicam apud illos non minus excultam fuisse, quam apud alias gentes, quae hocce tempore vivebant, jam exinde patet, quod Moses scientia sacerdotum Aegyptiorum erat imbutus, adeo ut auctores profani eorum unum eum nuncupent (30); scientiarum autem Aegyptiorum sacerdotum non minima tunc temporis erat medicina, quin et recentior auctor expressis verbis dicit, Mosem apud Aegyptios medicinam didicisse (31). Et ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis: quicunque legat cum signa diagnostica, quae de lepra in Mosaicis libris sunt tradita, tum aliarum affectionum, quarum mentio est, aut qui vărias spectare velit leges, quae ad sanitatem tuendam utilitatem habebant, de quibus deinceps agam, mecum censebit, Mosem, qui, uti has tulit, ita illas descripsit, rei medicae imperitum non fuisse. Et jam res ipsa, Jehovam tales leges suo populo dedisse, huic erat certissimum indicium, eum contra voluntatem divinam acturum, qui debitam curam corporis sanitati non impenderet. De medicina apud Israëlitas in sacris codicibus nulla quidem fit mentio; sed non cum horum librorum natura conveniebat, ut nobis traderent, qualis artium scientiarumque apud Hebraeos fuerit conditio, cum potius inserviant, ut ex iis cognoscamus, quomodo Jehova per hunc populum ea perficiebat, quae in salutem hominum perficere volebat. Profanos autem auctores de medicina apud Hebraeos non mentionem fecisse, quis mirabitur, qui ea legit, quae plerique eorum, quam maxime cum veritate pugnantia, de hocce populo narrant; adeo ut eos ab Aegyptiis prognatos fuisse perhibeant (32); cujus rei caussa erat in institutione Hebraeorum, qua ab omnibus populis separabantur. Neque pror-

(30) Strabo, Lib. XVI. p. 1103. C.

(31) Clem. Alexandr. Strom. Lib. I. c. 23.

(32) Strabo. l. c. cf. Lib. XVII. p. 1180. A. et Diod. Sic. Lib. I. c. 28.

sus desunt argumenta, quibus, artem medicam ab Israëlitis excultam fuisse, credamus, si certe viro venerando Scotti assentiri audemus, qui ex iis, quae de rege Salomone (I. Reg. IV: 33.) dicuntur, scilicet, «illum de arboribus, a cedro Libani usque ad hysopum, qui nascitur in parietinis, disseruisse," suspicatur, regem in hisce describendis probabiliter earum virtutes medicas silentio non praeteriisse (32*). Neque Josua Sirachi filius populares exhortatus fuisset, ut medicum honoribus usui ipsius convenientibus afficerent (Eccles. XXXVIII: 1.), nisi tempore hocce apud Israëlitas viri arte medendi periti exstitissent.

SECTIO SECUNDA.

DE NECESSITUDINE, QUAE ERAT INTER DEI CULTUM ET MEDICINAM.

CAPUT I.

De necessitudine, quae erat inter sacerdotes et medicinam.

§ 9.

Aliquam necessitudinem inter sacerdotes et morborum curationem extitisse apud Hebraeos, jam ex eo patet, quod plurimos morbos a Jehova repetebant ab eoque sanationem dari opinabantur. Sacerdotes enim quasi magis intimam consuetudi-

(32*) Scotti, Die Religion und Arzneywissenschaft in ihren wechselseitigen Beziehungen. Nach dem Italiänischen. *Wien.* 1824. p. 31.

nem cum Deo omnipotente habebant, cui et per hos populi preces offerebantur; unique Pontifici maximo quovis anno semel penetrale sanctissimum templi, ubi imprimis Jehova habitare credebatur cujusque aliorum nemini aditus patebat, intrare licebat. Jam § 7 observavimus, ut Deus morbos, quos immiserat, tolleret, preces vel sacrificia a populo adhibita fuisse: sic Moses deprecatus est, ut Maria lepra liberaretur, et Aharon Jehovae sacrificavit, ut morbus ille, quo tot millia perierant, desineret, eodemque modo rex David Jehovae iram placavit. Ita sacerdotes, quippe qui imprimis sacra faciebant, certe si graves morbi grassarentur, pro populo supplices exstiterunt; quod etiam patere mihi videtur ex iis, quae Salomon rex, quum templum dedicaret, a Jehova petivit, ut scilicet morbos amoveret, si ad hanc aedem manus extenderet populus; sacerdotes enim hujus templi erant ministri.

§ 10.

Quae tamen cum ita sint, nondum patet, sacerdotes medicinam exercuisse. Eos medicorum munere functos esse existimarunt viri docti: jam doct. Vink (33) sacerdotes apud Hebraeos medicinam fecisse contendit; et Michaëlis (34) Levitos cum eo inferiore sacerdotum Aegyptiorum ordine comparat, qui, *οἱ νεωκόροι* vocati, medicinam practicam faciebant; iisque medicam artem commissam fuisse dicit Ackermann (35): ut de aliis taceam. Videamus igitur, an horum eruditorum virorum assentiri possimus opinioni, et inquiramus, an ex sacris Codicibus pateat, Levitos scientia medica peritos fuisse. Cu-

(33) Vink, Amoenitates Philologico-medicae. p. 425.

(34) Michaëlis Mosaisch Regt. I. p. 246.

(35) Ackermann, Archaeologia biblica. *Viennae*, 1826. p. 135. Etiam Friedländer (l. c. p. 28.): „in den Leviten erhält das Volk seine Weisen, Richter und Aertze."

jus Levitorum peritiae artis medicae cum plurimi auctores argumentum petierint ex examine, quod iis erat traditum eorum, qui morbo illo exanthematico, de quo fit mentio in capite XIII Libri III, qui Mosi inscribitur, laborarent, nobis primo loco accuratius de hoc morbo est indagandum.

§ 11.

Fuerunt (36), qui Judaeorum lepram vocarent castigationem prorsus extraordinariam in gentem Hebraeorum a Deo immissam, et ab aliis notis morbis valdopere diversam, quippe quae et aedes et vestes, quas nullus alius infestat morbus, affecerit (37). An recte ita crediderunt? An revera illa aedium vestiumque labes pro eodem morbo exanthematico est habenda, quo homines afficiebantur? Jam R. Mead (38) de lepra aedium (III. Mos. XIV. 33—37.) dixit: «evenire potuisse, ut in muris aedium, qui ex materia admodum varia, calce fortasse, lapidibus, terra bituminosa, pilis animalium et similibus commistis, constructi erant, exaestuando scrobes virides aut russi intra superficiem exorirentur (III Mos. XIV. 37.), qui, cum leprosam in corpore scabiem quodammodo referrent, lepra in domo vocabantur. Facillime enim effervescunt corpora natura diversa, cum permiscentur et coeunt." Comparat hanc aedium labem cum salibus calcareis et nitrosis, quae nostris in domiciliis in muris, gypso parum idoneo obductis excrescunt. Cum viro celeberrimo faciunt et Michaëlis (39), Reinhard (40), uti et recentiores (41). Et revera minime absurdum est, le-

(36) C. Chr. Schmiedel, Diss. de Lepra. *Erlang.* 1750. § XVII.

(37) Chr. Ehrenfr. Eschenbach, Scripta Medico-Biblica, *Rostochii*, 1779. p. 22. Cf. p. 18. — Schmidt, Bijbelsche Medicus. II. p. 588.

(38) Medica Sacra. p. 20. sq.

(39) Michaëlis, Mos. Regt. IV. p. 276. sq.

(40) Bibelkrankheiten. p. 91 sqq.

(41) Winer, Biblisches Realwörterbuch. *Leipzig*, 1833. p. 551.

prae foeditatem Hebraeis in proverbio fuisse, quacum et rerum inanimatarum affectiones, quae turpes erant adspectu, compararent. Sic et Michaëlis l. c. Forskal citat, qui ipsi scripserat, se in Aegypto de lepra arborum audivisse, quae morsu insectorum efficiebatur. De vera lepra minime sermonem fuisse apud Mosem, patet ex initio legis de aedibus leprosis (III Mos. XIV 34): «Quum perveneritis in terram Chananaeam:" si enim revera de contagione leprosa aedes afficiente locutus fuisset, non video, quare non in deserto idem contagium etiam tentoria afficeret, et quare ita affecta tentoria non simul cum hominibus leprosis e castris essent removenda. Lex itaque potius ad res civiles, quam ad res medicas spectabat, ut scilicet Israëlitae debitam aedibus curam haberent, ne ex earum ruina incommoda orirentur: forte tales excrescentiae aedium murorum simul sanitati nocebant; sed cum de earum natura parum nobis liqueat, hac de re aliquid certi pronuntiare non ausim. Neque facile crederem, de vera lepra esse intelligendum vitium illud vestium, de quo fit mentio apud III Mos. XIII. 47. sqq. Qui lepram morbum contagiosum habent (42), de contagio cogitant cum vestimentis communicato, uti hoc etiam de peste notissimum est; alii vero, ad quos Michaëlis pertinet, lepram vestium de lana ovium morbo aliquo exstinctarum intelligunt. Horum opinio mihi certe propius ad veritatem accedere videtur, quam illorum, quum multum sit, cur de leprae ipsius contagio dubitemus.

§ 12.

Jam videamus morbi symptomata, qualia nobis in sacris Codicibus sunt tradita (III Mos. XIII. 3. sqq.) «Quod si pili in affectu mutati fuerint in album et affectus facies cute corporis depressior, leprae morbus est, eo viso sacerdos pollutum judi-

(42) Mead, Med. sacr. p. 18 sq. — Reinhard. l. c. p. 90.

cato. Sin labes alba erit in cute corporis non depressiore superficie, quam cutis est, neque ulla in album facta mutatione morbidum sacerdos concludito in septem dies." Post hoc tempus, si eadem morbi species manserat, neque per cutem creverat, septem alteros dies concludendus erat aegrotus. Si posthac septimo die affectus obscurior esset, neque per cutem crevisset, purus esset. Et vs. 10. sq: «Qui si animadverterit tumorem album in cute, factamque pilorum in album mutationem, carnemque vivam inesse in tumore, lepra est in cute inveterata:" et vs. 12, sq: «Sin autem lepra effloruerit in cute et totam morbidi cutem a capite ad pedes occupaverit, per quidquid erit sacerdotis oculis subjectum, ubi animadverterit sacerdos totum corpus lepra esse occupatum, tum morbidum purum judicato, totus in album mutatus est. Sed quum in eo apparebit caro viva, impurus erit." Vs. 18, sq: «Si quo in corpore fuerit ulcus in cute et eo sanato, in ejus loco tumor albus exstiterit, aut albo rubricans macula, sacerdoti ostenditor: qui si animadverterit, ejus superficiem infra cutem subsedisse, pilosque in albos mutatos — leprae morbus est in cute efflorescens." Ex hisce patet (Cf. et vs. 25, 27, 30, 35, 36.) signa characteristica Judaeorum leprae esse albitudinem pilorum et depressionem loci affecti infra cutem; augmentum maculae suspectae diagnosin firmare; carnem vero vivam in tumore non nisi ad lepram inveteratam, ideoque minus ad signa diagnostica pertinere. Haec signa comparemus cum descriptione morbi cutanei, de quo Celsus loquitur (43): «Vitiliginis, inquit, tres species sunt. Ἄλφος vocatur, ubi color albus est, fere subasper et non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse videantur: interdum etiam latius et cum quibusdam intermissionibus serpit. Μέλας colore ab hoc differt, quia niger est et umbrae similis; caetera eadem sunt. Λευκή habet quiddam simile alpho, sed magis albida est et altius descendit; in eaque

(43) Celsus, Lib. V. c. XXVIII. § 19.

albi pili sunt et lanugini similes. Omnia haec serpunt; sed in aliis celerius, in aliis tardius." Ergo in leuce Celsi eadem albitudo pilorum et depressio cutis observantur, possuntque ejus signa characteristica haberi; caeteroquin patet, morbos facile posse confundi: morbos autem natura sua quam maxime a se invicem differre, hisce verbis indicat Celsus: «Alphos et Melas in quibusdam variis temporibus et oriuntur et desinunt: Leuce, quem occupavit, non facile dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt: ultimum vix unquam sanescit: ac si quid ei vitio demptum est, tamen non ex toto sanus color redditur." Erat itaque hic morbus pertinax, ille vero levis, neque diu durans, quare Moses etiam probe inter utrumque distinxit. Eadem signa diagnostica Avicenna, Arabum medicus, adscribit morbo, quem Barras album vocat. Dicit (44): «Discrimen obtinet inter album Alguada (alphos) et album Barras; in illo pili in loco affecto crescunt nigro vel fusco colore: qui vero in Barras crescunt, semper sunt albidi, cutisque simul depressior, quam caetera pars corporis superficiei." Etiam Schilling depressionem cutis signum diagnosticum dicit (45): Forskal affirmat, Barras adhuc sanabilem esse, si pili nigri sunt in albis maculis (46). Hunc morbum doct. Robinson in India Orientali observavit. Ejus initia sunt valde incerta: una alterave macula, colore caetera cute albidiore, circumscripta in cute prodit, plerumque in manibus pedibusve, sed etiam in facie et trunco: cutis eo loco sensu est destituta; sensim sensimque per caeteram cutem morbus extenditur, quae ubicunque est affecta sensu orbatur (47). In hoc stadio morbus sa-

---

(44) Avicenna. Lib. IV. 3. tract. 3. — Cf. Praktische Darstellung der Hautkrankh. nach dem System. des Dr. Willan von Bateman, übers. von Calman, mit Anmerk. von Blasius. *Leipzig*, 1835. p. 353.

(45) Hensler, Geschichte des Abendländische Aussätze. p, 275.

(46) Apud Niebuhr, Beschreib. von Arabien. p. 137. in annot.

(47) Illam insensilitatem etiam distinxisse mihi videtur Celsus (l. c.): «Utrum

nari potest. Sed postquam illud aliquamdiu (a mensibus duobus ad annos quinque) duravit, symptomata totius constitutionis in consensum raptae prodeunt; pulsus fit tardior: excretiones languescunt, digiti manuum pedumque quasi gelu correpti, nitentes, tumentes, inflexibiles: mentis hebetudo supervenit: cutis palmarum manuum in frusta dura et arida desquamatur: sub unguibus oriuntur incrustationes, quibus ex insitione sua extruduntur. Tument brachia cruraque; tandemque articulationes manuum pedumque afficiuntur, ipsaeque extremitates per sphacelum decidunt. In hac conditione diu vitam trahere miser potest, donec tandem, diarrhaea vel dysenteria oborta e medio tollatur (48).

Hic itaque est morbus, cujus symptomata in Mosis Lib. III c. XIII. narrantur; in quo describendo semper maxima confusio apud auctores fuit. Nam cum tempore bellorum, quae ad terram sacram expugnandam gerebantur, morbus cutaneus per omnem fere Europam grassaretur, qui, turpis adspectu, centenos homines ex aliorum societate expulit, cumque dirus hic morbus ex oriente originem duxisse crederetur, facile putarunt medici hujus aevi, hanc esse lepram Judaeorum. Morbus tamen hicce fuit Elephantiasis veterum Graecorum, quae a magnitudine et diuturnitate nomen accepit (49); nomen autem ab Aretaeo ei est datum (50). Aliqua similitudo certe hujus morbi cum Leuce exstat, scilicet in utroque manus pedesque tument et ulcerantur, donec tandem decidant. Magnus etiam Hippocrates inter utrumque morbum non bene distin-

autem aliquod horum sanabile sit, an non sit, experimento facile colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi: si sanguis exit, quod fere fit in duobus prioribus (in alpho et melane) remedio locus est; si humor albidus, sanari non potest (quia sc. est Leuce)."

(48) Praktische Darstellung der Hautkrankh. von BATEMAN. p. 357.

(49) AËTIUS Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 120.

(50) ARETAEUS de Diuturn. morb. Lib. II. c. 13.

xisse videtur (51) dicens, „γίνονται δὲ λευκαὶ μὲν ἐκ τῶν θανατωδεστάτων νοσημάτων. οἷον καὶ ἡ νοῦσος ἡ φθινικὴ καλεομένη:" si scilicet pro voce φθινικὴ cum Galeno est legendum φοινικίη: quem Phoeniceum morbum de elephantiasi esse intelligendum credit idem Galenus (52). Sed non in morbo nostro magna illa tubercula in naso auribusque adsunt, quae elephantiasi sunt propria, quaeque faciei speciem satyri vel feri alicujus praebent (Vid. Tab. XXXVII. Bateman), unde et nomina Satyriasis (53) et Leontiasis veniunt: neque in Elephantiasi insensilitas ea, qua Leuce notatur. Porro Leuce secundum doct. Robinson non facile majores extremitates corripit, quas elephantiasis corripere solet. Etiam Celsus inter utrumque morbum distinxit. Vocavit ἐλεφαντίασιν morbum, quo totum corpus ita afficitur, ut ossa quoque vitiari dicantur; non solum de maculis, sed etiam de tumoribus (tuberculis?) loquitur; atrum colorem, corporis emaciationem, pedum intumescentiam et febriculam (hecticam?) facile tot malis obrutum hominem consumentem memorat (54), quae cuncta minime cum Leuces symptomatibus conveniunt. Etiam Arabes inter utrumque morbum distinguunt, Leucen Barras sive Beras, Alberas, vocantes, elephantiasin vero Dsjüddam vel Madsjürdam (55). Sed non solum cum gravi hocce morbo, verum etiam cum levioribus vitiligo confundebatur, adeo ut mediis aevis sub nomine communi Leprae varia exanthemata comprehenderentur, et elephantiasis, et lepra squamosa, et Leuce, et impetigines multi. Ita jam dixit Greg. Horst (56) qui sub finem saeculi decimi sexti Ulmiae morbum investigavit, non solum morbo

---

(51) Hippocrat. Prorrhetic. Lib. II. Sect. II. p. 114. ed. Foes.

(52) Cf. Annot. ad hunc locum apud Foesium.

(53) Hoc nomen morbo tributum an propter salacitatem aegrorum fuerit, valde dubito: de libidine enim inexplebili minime conveniunt auctores.

(54) Celsus. Lib. III. c. XXXV.

(55) Niebuhr. l. c. p. 135.

(56) Greg. Horst, Obs. med. Lib. VII. obs. XVIII. epist. J. A. Hoffnero.

tuberculoso, sed etiam psora et lepra Graecorum laborantes in nosocomia recipi: et Forestus, qui Alcmariae eodem munere functus est, ex decem aegrotantibus vix unum vere leprosum exstitisse (57). Nomen ipsum *leprae*, quod huic morbo est traditum, ei minime convenit; nam Hippocrates lepram optime a Leuce distinxit, neque eam ad periculosos morbos refert, ad quos pertinet Leuce; dicit enim (l. c.): „αἱ δὲ λέπραι καὶ οἱ λειχῆνες ἐκ τῶν μελαγχολικῶν (58)." Sub hoc communi leprae nomine celeberrimus Alibert quam maxime diversos morbos comprehendit, lepram albam (Leucen et Alphum) (59), elephantiasin (quam vocat Lepram tuberculosam leontiasin) et pedem elephantinum (Barbadoes-leg, Dalfil [Arabum]) (60), morbum prorsus localem pedum vel etiam scroti, labiorumve pudendorum, quique cutem non nisi secundario modo afficit et valetudini totius corporis parum obest (61): veram lepram Graecorum autem sub nomine herpetis furfuracei describit. Primus Willan res bene distinxit, sub nomine leprae tres formas describens: Lepram vulgarem (herpetem furfuraceum Alibert.) L. alphoïdeam (alphum) et L. nigricantem (melana) (62). Harum lepra alphoïdea (Albohak Arabum (63)) ex squamis minimis constat, quae lentissime crescunt (64), quare et recte legislator Hebraeorum inter signa diagnostica hujus alphoïdeae refert, maculas non crescere (III. Mos. XIII.): ipse morbus

(57) Forest. obs. Chirurg. Lib. IV. obs. VII.

(58) Cf. Hippocr. de morb. epid. L. V. p. 1144. (Foes.)

(59) Alibert, Description des Maladies de la peau. *Bruxelles*, 1825. Tom. II. p. 71.

(60) Quem vocat Alibert Lepram tuberculosam elephantiasin. (Cf. l. c. p. 95.)

(61) Cf. praeter o. l. (Practische Darstellung, etc.) etiam Jonathan Green, Praktische Compendium der Hautkrankh. a. d. Engl. *Weimar*, 1836. p. 373. — Rochoux, in Zeitschrift für die organische Physik. Bnd. II. Heft. VI. p. 637. Abrégé pratique des Maladies de la peau par Cazenave et Schedel. 3e Edit. p. 373. sq. Cf. 516 sqq.

(62) Praktische Darstellung etc. p. 31.

(63) Niebuhr. l. c. p. 135.

(64) Green. l. c. p. 231.

ad mitiores morbos cutaneos pertinet (65); qua in re quam maxime a Leuce differt. Minus recte igitur egisse videtur doct. Rayer (66) sub nomine communi leprae et alphum et leucen describens: hic enim magis cum elephantiasi Graecorum convenit. — Haec de symptomatologia morbi sufficiant: ex dictis patet, vitiliginem, quae in sacris codicibus describitur, minime esse morbum extraordinarium, sed revera cum noto aliquo morbo eam convenire. Roganti, an elephantiasis Israëlitis plane fuerit incognita, cum legislator hujus signa diagnostica non indicaverit, respondeo cum eruditissimo Jourdan (67), Mosem non compendium pathologicum composuisse, eumque morbum tantummodo eam descripsisse, qui cum levioribus affectionibus cutaneis in initio posset confundi; elephantiasin vero symptomata habere, quae non adeo facile talem confusionem admittant. Quum elephantiasis in his regionibus, certe in Aegypto, jam antiquitus fuerit cognita, non improbabile est, eam et inter Israëlitas grassatam fuisse: quin et Niebuhr (68) Judaeum quendam narrat sibi dixisse (in Arabia), morbum eum, de quo (III Mos. XIII. 10. 11) fit mentio, in quo erat caro viva, fuisse Elephantiasin sive Dsjüddam: quod tamen ego non affirmare ausim (69). Magis mihi ad elephantiasin spectare videntur vss. 40. sqq., ubi signa diagnostica inter calvitiem suspectam et puram traduntur. Omnes enim auctores depilationem et calvitiem ad signa characteristica elephantiasis tuberculosae sive Graecorum referunt (70). Et forte morbus

(65) Praktische Darstellung, p. 36. Cf. Celsus. Lib. V. c. XXVIII. 1. c. — Aëtius Tetrabibl. IV. Serm. I. c. 134.

(66) Rayer, Traité théorique et pratique des maladies de la peau. *Bruxelles*, 1837. p. 254.

(67) Dictionnaire des sciences Médicales. Tom. XXVII. p. 455. (68) l. c. p. 135.

(69) Mead, (Med. sacr. p. 20.) dicit, semet ipsum vidisse hominem rusticum lepra laborantem, sc. ut cutis quasi *nive coöperta splenderet:* squamae vero furfuraceae assidue defricabantur, *subtus apparente carne viva.*

(70) Alibert. l. c. p. 98. — Praktische Darstellung, etc. p. 346. Rayer. l. c. p. 387.

quo Huzzya rex afficiebatur (II. Chron. XXVI. 19. 20. Cf. II. Reg. V. 27), qui sese in fronte palamfecit, ad elephantiasin est referendus, quippe quae imprimis faciem, supercilia et aures afficiat (71).

Restat, ut de contagiosa natura nostri morbi disseram. Lex Mosaïca (III Mos. XIII, 45. 46) jussit, eum qui lepra esset affectus, solitarium habitare et extra castra sedem habere vestimentis dissolutis, capite tonso, ore velato, ut a quovis tanquam pollutus cognosceretur. Ex his conficere possimus, apud Israëlitas morbum contagiosum habitum fuisse. Celsus (l. c.) de contagione morbi non loquitur; nec etiam Hippocrates. Quum morbus noster in mediis aevis simul cum aliis morbis cutaneis per totam terram grassaretur, vulgus eum, uti semper omnes morbos epidemicos, contagiosum habuit, eademque ac in peste, ut eum praecaveret, fecit (72). Hanc cum vulgo opinionem communem habuerunt medici, diuque retinuerunt, adeo ut et Schilling per coitum dixerit morbum communicari (73). Nostris adhuc diebus in iis regionibus, in quibus epidemicus est morbus, populorum magistratus varia instituerunt ad morbum praecavendum (74), et Niebuhr (l. c.) narrat, leprosum quemdam per indusium foeminam aliquam leprae contagione affecisse. Observandum tamen est, apud hos omnes vel de elephantiasi, vel de hac et nostro morbo sermonem fuisse nomine communi leprae comprehensis. Ab horum opinione multi imprimis recentiores differunt, qui tamen etiam imprimis de elephantiasi loquuntur. Neque Vidal (75), neque Joannis (76), neque multi alii unquam contagiosam naturam

---

(71) Green. l. c. p. 296 sq.

(72) Dictionnaire des Sciences médicales. T. XXVII. p. 469.

(73) Cf. Alibert. l. c. p. 132. (74) Alibert. l. c. — Niebuhr. p. 136.

(75) Recherches et observ. sur la lèpre de Martigues. in Mém. de la Société Roy. de Med. Tom. I. p. 169.

(76) London Med. Obs. and Inquir. Vol. I. p. 204.

elephantiasis observarunt, et jam Forestus (77) miratus est, leprosos non eos, quibuscum quotidianam consuetudinem habebant, contagio affecisse; quare et recentiores fere omnes uno ore elephantiasin non contagiosam, sed haereditariam esse affirmant (78). Auctores itaque caussas generales, quare elephantiasis in mediis aevis tam late grassata fuerit, ponunt in pravo nutrimento, pravaque diaeta, in animi pathematibus deprimentibus, quae omnia bellis et calamitatibus publicis effecta facile morbum talem cutaneum epidemicum in lucem vocare possent (79): quas causas leprae, uti et aëris humiditatem, jam Raymond tanquam remotas memorat (80).

Quae hic de elephantiasi sunt dicta, licet non directo modo de Leuce valeant, tamen faciunt, ut nobis etiam valde sit dubitandum de contagiosa hujus morbi natura, imprimis cum et alphos (Bohak) non contagiosus habeatur (81); quin etiam Eschenbach (82) leprae Judaeorum nil contagii admixtum fuisse credit, et ex iis locis Sacrorum Codicum, ubi de leprosis fit mentio, concludit, hunc morbum apud Israëlitas nimis sporadice occurrisse, quam ut de contagio cogitare possimus. Cum tamen per tot saecula lepra pro morbo contagioso sit habita, potuit accidere, ut et Israëlitae hoc de ea crediderint, et ipse Moses cum populo hanc opinionem communem habuerit. Sed etiamsi nihil de contagio crediderit, tamen et aliae caussae fortasse exstiterunt, quare leges de hoc morbo tulerit Moses. Morbi enim cutanei apud multos Asiae populos tam

---

(77) Obs. Chirurg. Lib. IV. obs. 7.

(78) Alibert, l. c. p. 134. Cf. 127. — Green, l. c. p. 300. — Abrégé prat. d. Mal. d. l. peau, par Cazenave et Schedel, p. 372 sq. — Rayer, l. c. p. 310. Hic tamen (p. 309.) quaestionem movet, an fieri potuerit, morbum contagiosum fuisse, quum *epidemice* grassaretur?

(79) Rochoux in Zeitschrift für die organische Physik. Bnd. II. Heft VI. p. 629 sq.

(80) Raymond, Histoire de l'Éléphantiasis. 8vo. *Lausanne*, 1767. p. 57.

(81) Niebuhr, l. c. p. 137 sq. in annotatione.

(82) Eschenbach, scripta medico-biblica. 1779. p. 23 sqq.

odiosi habebantur, ut iis, quippe Deorum aliquo supplicio, affecti ex urbibus removerentur: de Persis Herodotus expressis verbis hoc dixit (83). Quemadmodum itaque Persae et lepra et leuce affectos sine discrimine ex urbibus expellebant, ita forte et Israëlitae omnes quocunque morbo cutaneo affectos ex societate aliorum removerunt. Moses vero, cum in regionibus hisce calidis morbi cutanei frequentiores, quam alibi sint, cumque igitur numerus talium e castris remotorum saepe ingens fieri posset, leges fecit, qua impuritas tantummodo ad pessimos et maxime insanabiles morbos cutaneos limitaretur: adeo ut leges illae de lepra potius inservirent, ut numerus impurorum minueretur, quam ut morbum aliquem impurum declararet, qui antea non impurus habebatur. Aliquid certi tamen hac de re affirmare non ausim: sed Mosem leges suas de lepra propter ejus contagium probabiliter non tulisse, ex eo conficere velim, quod idem nullas de peste leges tulit: cujus uti contagiosa natura a longe plurimis medicis accipitur, ita et malignitas et periculum quam maxime leprae malignitatem et periculum superat.

§ 13.

An ex eo, quod de lepra judicabant sacerdotes, concludere licet, eos medicinam exercuisse apud Hebraeos? Cum morbi diagnosi Moses nihil de curatione praecepit: Michaëlis quidem suspicatur iis talia praecepta data fuisse (84): sed in sacris

(83) Herod. I. c. 138. „Ὃς ἂν δὲ τῶν ἀστῶν λέπρην ἢ λεύκην ἔχῃ, ἐς πόλιν οὗτος οὐ κατέρχεται οὐδὲ συμμίσγεται τοῖσι ἄλλοισι Πέρσῃσι· φασὶ δέ μιν ἐς τὸν ἥλιον ἁμαρτόντα τι, ταῦτα ἔχειν. ξεῖνον δὲ πάντα, τὸν λαμβανόμενον ὑπὸ τουτέων, πολλοὶ καὶ ἐλαύνουσι ἐκ τῆς χώρης."

(84) Michael. Mos. Regt. IV. p. 274.

codicibus nihil reperitur, quo haec suspicio confirmetur; e contra, ut ipse Michaëlis alio loco observat (85), cum consiliis boni legislatoris, qui sui populi eruditioni doctrinaeque bene consulere cupit, talia praecepta certa dare pugnat, neque unus, qui posset, Deus omnipotens talia daret, cum et Ipse lepram tanquam poenam populo suo immisisset; adeo ut viri celeberrimi suspicio refutetur iis, quae ipse alibi dixit. Si ex lege de lepra aliquid de medicina sacerdotum concludere liceat, unum hoc est, sacerdotes munere medicorum politicorum esse functos (86). Neque multum ex ea de eorum peritia rei medicae patet, quae si tanta fuisset, ac nonnulli perhibuerunt, non necesse fuisset, ut Moses iis signa dedisset diagnostica leprae: hujus enim symptomata, cum epidemice saepe inter Israëlitas grassaretur morbus, non possent, quin iis, qui artem medicam apud hunc populum faciebant, cognita essent. Me judice, non difficilius probatu foret, Mosem de cognoscendo hoc morbo sacerdotibus certa praecepta dedisse, quia non medicinae erant periti, quam ex iis aliquid certi de eorum scientia medica pronuntiare. Et etiamsi non fuerint medici, tamen de hoc morbo, tanquam impuro, judicium sacerdotibus erat, quia in Theocratia non nisi horum sanctitati et auctoritati medicina politica tradi posset.

§ 14.

Neque ex historia patet, sacerdotes revera artem medicam exercuisse. Sprengel (87) medicos, de quibus in morbo regis Asae (II Chron. XVI: 12.) fit mentio: «Aegrotavit autem Asa pedibus vehementi morbo, neque tamen in morbo Jehovam consuluit, sed medicos;" Levitos fuisse credit, regemque morte esse punitum, quia ad hos, tunc temporis moribus de-

(85) Mos. Regt. IV. p. 250.

(86) Winer Biblisches Realwörterbuch. art. *Arzneykunst.*

(87) Pragm. Gesch. d. Med. ed. 1821. T. I. p. 112.

pravatos, neque ad prophetas confugerat. Sed hoc loco minime de Levitis est sermo: et ex dictis verbis hoc unum conficere possumus, regem a Jehova morte esse punitum, quia hominum, quam Ipsius auxilio magis confidebat, uti jam antea (vs. 7.) Deus ei iratus fuerat, quia foederi cum Syriae rege magis, quam cum Ipso Jehova in bello cum Israëlitis confisus erat (88). Si ex loco citato aliquid de medicina apud Judaeos concludere licet, me judice, ex eo potius patet, tunc saltem temporis alios medicos, quam sacerdotes exstitisse: hi enim si fuissent Asae medici, quare Jehova, qui Ipse eos medicos creasset, regi iratus fuerit, non video. Et si prophetae (Jer. VIII: 22.) vel alii Israëlitarum (Ecclesiastic. X: 11, 12.) de medicis loquuntur vel ex eorum munere allegorias sumunt, minime de sacerdotibus cogitandi locus est. Quin etiam non credo, Josuam Sirachidem cives exhortatum fuisse, ut medicum suis praemiis afficerent, ut haberent ea, quibus opus esset (Eccles. XXXVIII: 1.), si tunc temporis medicinam exercuissent sacerdotes: hi enim hisce praemiis non indigebant. Itaque, ut paucis omnia contraham, ex iis, quae in sacris Codicibus de medicina Israëlitarum habemus, non conficere possumus, hanc artem sacerdotes exercuisse.

CAPUT II.

De necessitudine, quae erat inter Prophetas et medicinam.

§ 15.

Sprengel in opere suo classico (89) dicit, prophetas quippe

(88) Scotti. l. c. p. 34 sq.

(89) Pragm. Gesch. d. Med. Th. I. ed. 1821. p. 111, 112. Etiam Friedländer (l. c. p. 31.) prophetas dicit morbos sanare et precibus et medicamentis.

qui Jehovae gratiores quam Leviti essent, quum populus moribus magis magisque depravaretur, medicinam, quae antea fuisset apud sacerdotes, exercuisse. Hanc opinionem ut probet, varia exempla citat sanationum, quas prophetae fecerunt. Sed cauti simus, ne temere ea, quae per miram ab ipso Deo acceptam vim effecerunt, pro effectibus artis medicae habeamus. Fuerunt, qui omnes sanationes a prophetis peractas secundum leges naturae posse explicari putarunt, mortuorum vero in vitam revocationes (I. Reg. XVII. 17. sqq. II Reg. IV. 18.) quippe quae nimis ab hisce legibus recederent, ita intellexerunt, ut hic non de veris agatur mortuis, sed de simulatis (90). Quorum opinioni quominus assentiamur, jam vetat auctoritas sacrorum Codicum. Sed inquiramus potius, an in iis casibus, in quibus non de mortuis, sed tantummodo de aegrotantibus a prophetis medicamenti alicujus ope sanatis fuit sermo, de vera arte medica cogitare possimus; quod si nequeamus, necesse est, ut per divinam vim has sanationes perfectas a prophetis credamus; quibus si divinam vim datam fuisse, ut aegrotos sanarent, putamus, non erit, cur non per eandem vim et mortuos suscitassent.

§ 16.

Duo exempla afferam; alterum prophetae Elisaei, alterum Esayae. — Quum Naaman, dux regis Syriae exercitus, lepra laborans, ad prophetam Elisaeum, ut ab eo sanaretur, venisset, hoc unum a propheta responsum accepit, sibi septies in Jordano sese esse lavandum; quod quum fecisset, in tantam corporis puritatem restitutus est, quanta puerorum est parvulorum (II. Reg. V. 9. sqq.). Doct. Vink (91) hanc sanationem Naamanis attribuit virtuti, quam in morbos cutaneos sanandos habent aquae fluviales, praecipue si aegroti innatant ad a-

(90) Sprengel. l. c.

(91) Vink, Amoenitates philologico-medicae. p. 216.

quarum rapidos vortices. Naturae sulfurosae aquarum Jordani sanationem Naamanis adscribit Alibert; in hocce morbo enim imprimis balnea sulfurosa juvarunt (92). Alibert tamen mirificam fuisse sanationem Naamanis negare non videtur (93). Et nostro etiam tempore flumen Jordanum vim specificam contra lepram habere, sunt qui dicunt (94); adeo ut locus quidam ad Jordanum leprosis esset destinatus, ubi se lavarent (95). Videmus igitur auctores citatos vim specificam contra lepram aquis Jordani tribuisse, sed in contrarias partes abiisse, quum de natura hujus virtutis esset dijudicandum; Vink enim de aquis puris fluentibus, Alibert de sulfurosis cogitat. Neque etiam de virtute sulfuris contra lepram, saltem si interne adhibeatur, omnes conveniunt. Robinson (96) Leucen perfectam insanabilem habet, in ejus initio vero potius plantae cujusdam, Asclepiadis Giganteae, et imprimis mercurialium et antimonialum (97), quam sulfuris usum commendat. Niebuhr dicit, puerum quendam sub usu sulfuris tantummodo aliquamdiu, neque perfecte lepra fuisse sanatum; erat autem hujus pueri lepra mitior forma, quam Bohak Arabes, ἄλφον Graeci vocant (98): cujusmodi forsan etiam sanationes clarissimi Alibert fuerint, quippe qui ἄλφον et λευκὴν gradu tantummodo differre contendit (99). Celsus autem in alpho imponendam suadet lenticulam mistam cum sulfure et thure, sic, ut ea contrita ex aceto sit (100). De sulfuris usu in Leuce Niebuhr non

(92) Alibert, Description des Mal. d. l. Peau. T. II. p. 148.

(93) l. c. p. 63. „Tous les siècles ont rétenti du sort malheureux de Naaman, merveilleusement guéri par le prophète Elisée, pour s'être baigné sep fois dans les flots sulfureux du Jourdain."

(94) Jourdan in Dictionnaire des Sciences médicales T. XXVII. p. 454.

(95) Gregorius a Turonibus (Grégoire de Tours). Ibid. p. 463.

(96) Bateman Praktische Darst. d. Hautkrh. p. 357.

(97) Rochoux (Zeitschr. für die Org. Phys. Bnd. II. Heft VI. 1828. p. 637.) eos casus, ubi lepra mercurialium ope fuerit sanata, syphilidis fuisse autumat.

(98) Niebuhr. Beschr. v. Arab. p. 135.

(99) Alibert l. c. p. 71.

(100) Celsus, Lib. V. c. 28. § 19.

loquitur. An forte alpho tantum laboraverit Naaman? Hoc credit Jourdan (l. c.), quia rex Syriae cum eo colloqui ausus est. Sed observandum, nusquam de tali colloquio cum rege Syriae mentionem fieri: et tum quoque, si verba (II. Reg. V. 4.): «Haec Israëlitidis puellae verba, quum Naaman domino suo retulisset," de vero colloquio essent intelligenda, nil probarent, nisi quod morbus, licet aeque molestus, tamen minus in horrore Syriis habebatur, quam Israëlitis; quod fieri potuisse, patet ex Josepho (1), dicente apud nonnullas gentes leprosos militiae magna obiisse munia et domi rem publicam administrasse et in loca sacra et templa ingrediendi potestatem habuisse. Ad prophetam certe Naaman non accessit; nam venit ante fores domus Elisaei (vs. 9.). Gravem autem morbum fuisse, patet ex muneribus magnificentissimis, quae secum ad prophetam duxit (vs. 5.). Probabile est, Naamanis lepram eandem fuisse, qua postea affectus est Gehazi, quaeque niveo erat colore, qualis etiam erat lepra Mariae (IV. Mos. XII.), quae certissime ad Leucen pertinuit. Sed quidquid sit, rectius hac de re judicasse mihi videtur doct. Harle (2) dicens, si hanc efficaciam ad lepram sanandam aquae istae natura sua revera habuissent, nullum leprosum in Israëlitarum terra fuisse, cum Jordanus per totam hanc terram fluat. Nec etiam indignatus Naaman, quum a propheta discederet, dixisset, Damasceni fluvios omnibus aquis Israëlitarum praestare (II. Reg. V: 12.), si virtutes Jordani tantae fuissent in lepram sanandam. Et denique, etiamsi talem vim maximo gradu habuissent aquae Jordani, tamen mira Naamanis sanatio semper est habenda, quum a morbo tam universali non statim post lotionem, licet septies repetitam, curari potuisset, nisi accidisset aliquid divini (3).

(1) Joseph. Antiq. Jud. Lib. III. c. XI. 4. (2) Harle, Essay, etc. p. 110.

(3) If virtue had not been communicated to them, upon his obedient submission to the divine command. (Harle. l. l.).

§ 17.

Legimus (II. Reg. XX. 1. sq. Cf. Es. XXXVIII. 1, II Chron. XXXII. 24) regem Ezechiam lethaliter aegrotasse, ad eumque venisse Esayam vatem, ei Jehovae mandato nuntiantem, eum moriturum, neque convaliturum; quum vero rex magnopere ad Deum esset deprecatus, idem Esayas, jussu Jehovae, ei annuntiavit ejus aetati quindecim annos additos iri: jussit autem massam ficuum sumi, eamque ulceri imponi; quofacto ille convaluit. An sanatio haecce cataplasmati ficuum est tribuenda, adeo ut revera partes medici egerit Esayas? Quod ut dicere queamus, necesse est, ut, quaenam morbi fuerit natura, indicemus. De hac natura tamen vix aliquid constat, nisi id, morbum gravem fuisse: nam «rex lethaliter aegrotavit:" eumque sive cum ulcere complicatum, sive per ulcerationem, vel, si mavis, per suppurationem terminatum fuisse. An haec sufficiant, ut morbum anginam fuisse existimemus, uti fecit Bartholinus (4)? Qui, ut hanc diagnosin firmet, citat Jes. XXXVIII. 14, ubi dicit Ezechias, se in hocce morbo hirundinis gruisque ritu stridere, gementem ut columbam, quae ad vocem pipientem et quasi sibilantem anginae spectare, dicit auctor. Equidem verba hujus hymni non magni momenti habeo ad diagnosin hujus morbi: sed etiamsi essent, tamen vox illa pipiens, stridula, non ad anginam pharyngeam, quae in abscessum aut suppurationem exire amat, pertinet, sed ad laryngeam, quae potius in exsudationem lymphae plasticae transit. Quam difficile sit, ex iis, quae in sacris Codicibus de hoc morbo narrantur, aliquid certi de ejus natura concludere, patet ex variis et quammaxime a se invicem differentibus, quas de eo in medium protulerunt auctores, opinionibus. Nam uti Bartholinus de angina loquitur, sic Petrus Hispanus (pos-

(4) Bartholin. de morbis Biblicis. p. 62.

tea Pontifex Joannes XXI.) (5) pleuritidem, alii pestem fuisse, quippe in qua bubo pestilentialis formetur, credunt (6). Mead morbum febrem vocat in abscessum terminatam (7); Reinhard (8) febrem inflammatoriam fuisse putat, cujus caussam remotam ponit in animi pathematibus, quibus affectus fuerat rex. Hoc tamen ex hisce patet, alios ulcus vel abscessum morbi Ezechiae symptoma, alios exitum fuisse, credidisse. Et cum adeo inter se dissentiant auctores de natura morbi, nescio quomodo aliquid certi de medicatione pronuntiari possit. Cataplasma ex ficubus confectum suppurationem promovere, ideoque ejus usum in abscessibus convenire, recte dicit Mead (l. c.); ejusque vis emolliens in tumoribus inflammatoriis merito laudatur (9); nec etiam veteribus incognitum fuit, aridam ficum decoctam evocare et educere (10). Itaque non negabo, cataplasma illud ad ulcus leniendum vel abscessus suppurationem promovendam aliquid contulisse, sed, ab hoc cataplasmate sanationem regis repetendam esse, valde dubito. Si ulcus fuisset simplex et quasi epigenomenon ipsius morbi, certissime tale cataplasma optimum fuisset ei remedium; sed rex lethaliter aegrotavit, adeo ut medici de ejus salute desperarent. (11). An periculum morbi ex ulceris malignitate pendebat? In hoc casu ad gangraenosa vel phagadaenica pertinuit; qualia non facile per cataplasmata emollientia sanantur, et quorum sanatio intra triduum nunquam perficitur. An potius periculum fuerit ex febre, ulcus vero abscessus criticus, quales nonnunquam in febribus inflammatoriis oriuntur? At tales morbi vires aegrotantium ita frangunt, ut non, nisi post diutur-

(5) Thesaur. Pauperum. c. 26.

(6) Bartholin. l. c.

(7) Mead, Med. Sacr. p. 30.

(8) Bibelkrankh. I. p. 261. sq.

(9) Johann. de Mey, Comment. Phys. Part. II. c. 4. — Wedel, Exerc. medico-philolog. sacrar. et profan. Decad. VII. exercit. 4. p. 25.

(10) Celsus. Lib. V. c. 12. — Cf. Dioscorid. Lib. I. c. 183.

(11) Joseph. Antiq. Judaic. Lib. X. c. II. 1.

nam convalescentiam muneribus fungendo sint pares. In utroque igitur casu non nisi per miram divinam vim rex lethaliter aegrotans intra triduum ita convalescere potuit, ut ad templum adscenderet: quare et Reinhard merito dixit, hanc sanationem a Deo mirum in modum esse perfectam (12), et Hieronymus Bardus (13) eam partim naturalem, partim praeternaturalem vocavit. Rogantibus autem, quare, si sanatio fuerit mirifica, in altero casu Elisaeus balnea in Jordano, in altero Esayas applicationem cataplasmatis ficuum jusserit adhibere, ipse rogans responderem, quare et Christus, quum coecum sanaret, ejus oculis lutum illeverit (Joh. IX: 6)?

§ 18.

Itaque ex sanationibus, quas a prophetis peractas legimus, non concludere licet, eos apud Hebraeos medicinam practicam egisse; quod si facere vellemus, necesse esset, ut multos Hippocrates apud Israëlitas exstitisse crederemus. Sed an nulla igitur necessitudo inter prophetas et medicinam exstitit? Tale quid affirmare ego non ausim. De exitu morborum autem saepissime consulebantur, uti Elisaeus de Benadadi Syriae regis morbi (II. Reg. VIII: 8 sqq.) exitu consulebatur, et quare etiam Esayas ad regem Ezechiam aegrotantem venisse mihi videtur. Sed etiam de belli exitu non raro consulebantur: nemo tamen dicet, eos rem militarem exercuisse. Itaque necessitudo prophetas inter et medicinam erat talis, qualis ex divino eorum munere necessarie sequebatur. Hoc munere functi impiis hominibus morbos annuntiabant (I. Reg. XIII: 4 sqq.), uti et alias indicebant calamitates. Sed iidem morbos immissos Jehovam deprecati tollebant. Quos mirifice a prophetis sanari

(12) Reinhard, Bibelkrankheiten. T. I. p. 268. sqq.
(13) Medicin. Cathol. Polit. § 7. art. 3.

cum viderent aequales, non dubitabant, et in aliis morbis curandis prophetarum auxilium invocare. Et cum prophetae de aliis rebus vaticinarentur iisque publicis, nemo mirabitur, apud hos etiam de morborum, quorum omnium Deus esse auctor credebatur, exitu eos sciscitasse, qui prophetas divina auctoritate praeditos esse sciebant.

CAPUT III.

De necessitudine, quae erat inter leges Mosaïcas et medicinam.

§ 19.

Antequam ad necessitudinem, quae erat inter leges Mosaïcas et medicinam, pertractandam transeam, a lectore benevolo peto, ne credat, me leges illas, tanquam medicas, solummodo hanc ob caussam institutas habere, ut Hebraeorum corpora integra et salubria servarentur, adeo ut per religionis cultum ad corporis firmitatem, et sanitatem ducere suum populum voluerit Jehova. De caussa quare divino jussu hosce ritus instituerit Moses, ut judicium ferant, cum aliis rei theologicae peritis relinquam, ipse tantummodo ex iis, quae nos ars medica docet, inquiram, quamnam utilitatem habuerint leges Mosaïcae, ad sanitatem Israëlitarum tuendam.

I. *De circumcisione.*

§ 20.

De his itaque legibus cum sim acturus, initium est facien-

dum de ea, qua Hebraeis symbolum tradebatur foederis inter Jehovam et Abrahamum, qua et ipsi hujus foederis participes fierent (14) et tanquam populus sacerdotalis Deo consecrarentur; scilicet de ea, qua omnium puerorum praeputium octavo post nativitatem die circumcidendum erat (III. Mos. XII. 3). Jam Abrahamo Jehova dixerat: « Omnes vestri mares circumcidentur; circumcidetis autem membri vestri praeputium, quod sit icti inter me et vos foederis indicium: idque facietis octavo post] nativitatem die, cujuscumque generis mares erunt, sive domi, sive argento coëmpti et alienigenae, ex alio quocunque genere, quam ex tuo orti; ut ita circumcisis omnibus tam domi natis, quam pecunia comparatis, vestra corpora signata sint nota hujus Mei foederis sempiterni. Mares autem praeputiata et praeputia non circumcisa habentes, ex suorum numero tollentur ob violatum foedus Meum (I. Mos. XVII. 10—14.)." Quin et peregrinis inter Israëlitas agentibus Paschate vesci licebat, dummodo essent circumcisi (II. Mos. XII. 48.); et per hanc operationem subactam quasi ad Israëlitarum gentem ipsi pertinebant. Durante oberratione in deserto Israëlitae circumcisi fuisse non videntur: quum enim terram Chananaeam intrarent, Josua eos omnes circumcidi jussit in colle praeputiorum quum, quotquot in itinere per deserta post emigrationem ex Aegypto nati fuerant, non essent circumcisi (Jos. V: 2. sqq.).

§ 21.

Cum Jehova Abrahamum juberet, omnes ipsius mares circumcidere, nihil de ratione praecepit, qua haec operatio esset instituenda, quod, si nova et prorsus incognita haec fuisset, certissime fecisset (15); imprimis cum pluribus rationibus

(14) DE WETTE, Lehrbuch der Hebraïsch-Jüdischen Archaeologie, *Leipzig*, 1830. p. 154.

(15) JAHN, Biblische Archaeol. Th. I. Bnd II. p. 277. Cf. MICHAËLIS, Mos. Regt. IV. p. 29.

possit institui; uti et hodie Arabes alio, quam Judaei, modo, circumciduntur (16). Ex ipsis sacris codicibus itaque jam quodammodo conficere possumus, non primos fuisse Abrahami prognatos, apud quos hic ritus fuerit in usu. Et revera, si profanos auctores consulamus, videmus etiam alios populos antiquitus circumcisionem exercentes. De Aegyptiis hoc affirmat Herodotus (17), dicens etiam ab his alias gentes circumcissionem didicisse. Dicit idem (18) solos omnium hominum Colchos praeter Aegyptios et Aethiopes ab antiquissimis temporibus pudenda circumcidere, Phoenices enim et Syrii Palaestinam incolentes ipsos profiteri ab Aegyptiis se hoc accepisse. Sub nomine «Phoenicum et Syriorum Palaestinam incolentium," Herodotum Judaeos intellexisse, cum in Palaestina nulli alii circumcisi essent, quam ipsi Judaei, auctor est Josephus (19). De Aegyptiorum circumcisione loquitur et Strabo (20), a quibus Judaeos originem duxisse cum hoc tum etiam alio loco dicit (21). Itaque de Aegyptiorum circumcisione auctores profani conveniunt. quique eorum de Judaeis faciunt mentionem, hos hunc ritum ab Aegyptiis accepisse perhibent: quin et ipse Josephus, cum Herodotum tale quid dicentem citans non refutet, videtur in ea re huic assentiri. An revera Judaei ab Aegyptiis circumcisionem didicerint, pro certo quidem dicere non possumus, sed res per se improbabilis non est; minus certe cum rei natura convenit, ab Hebraeis, quos vilipendebant, Aegyptios hunc ritum accepisse. Hoc saltem ex dictis constat, praeter Israëlitas, etiam alias gentes circumcisas jam ab antiquissimis temporibus fuisse, ab

(16) Niebuhr, Beschreibung von Arabien. p. 76.

(17) Herodot. II. c. 36.

(18) Idem II. c. 104.

(19) Joseph. Antiq. Judaic. Lib. VIII. c. X. § 3. Cf. Id. contra Apionem Lib. I. c. 22. Lib. II. c. 13.

(20) Strabo, Lib. XVII. p. 1180. A.

(21) Cf. Id. Lib. XVI. p. 1103. C. sq. Diod. Sic. (Lib. I. c. 28.) etiam ab Aegyptiis Judaeos circumcisionem accepisse dicit.

Aegyptiis hanc operationem edoctas. Attamen eam omnibus Aegyptiis fuisse praeceptam, dubitandi locus est; nam eorum tantummodo sacerdotibus hic ritus impositus fuisse videtur (21*). Cum vero auctores citati non dicant, sacerdotes solos circumcidi, sed generatim Aegyptios (Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται), statuere possumus, circumcisionem sacerdotibus quidem praeceptam, sed multos ex ipso populo hac in re sacerdotes imitatos fuisse. Nostris etiam temporibus praeter Judaeos multi circumciduntur: omnes Muhamedani, incolae fere omnium insularum maris Pacifici (22), et insulae Madagascar et Otaheite (23) circumciduntur; neque solum Americae oras attigit hic usus, sed magnam Americae meridionalis partem pervasit (24). Usus qui apud tot gentes exstitit et adhuc perdurat, quique, uti Meiners (25) credit, diversis temporibus inter diversos populos sponte est natus, non potest, quin generaliorem caussam habeat atque originem. Quae generalior caussa vero, neque etiam tempus quo primo fuerit instituta circumcisio, ex nullius populi historicis monumentis pro certo patet (26). Originem circumcisionis medicam fuisse, non affirmabo; ab initio forte mere religiosus fuit ritus, quia nempe mutila-

---

(21*) ORIGINES in Comment. in Epist. ad Roman. cap. II. vs. 13. (Tom. IV. p. 495. ed. MANGEY.): „Apud Aegyptios — nullus aut Geometriae studebat, aut astronomiae, quae apud illos praecipuae ducuntur, nullus certe astrologiae et geneseos, qua nihil divinius putant, secreta rimabatur, nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos, haruspex, aut quorumlibet sacrorum minister, vel ut illi appellant, propheta omnis circumcisus est. Literas quoque sacerdotales veterum Aegyptiorum, quas hieroglyphicas appellant, nemo discebat, nisi circumcisus. Omnis hierophantes, omnis vates, omnis coeli, ut putant, inferniquemystes et conscius apud eos esse non creditur, nisi circumcisus."

(22) MEINERS, de circumcisionis origine et causis (in Comment. Societ. Götting. T. XIV. p. 209.). Cf. FORSTER's Beobachtungen, p. 482. — COOK's Letzte Reisen. I. p. 387. etc.

(23) PIERER, Medizinisches Realwörterbuch. I Bnd. p. 721 sq.

(24) MEINERS, l. c.

(25) Idem, p. 210.

(26) Idem. p. 211. — Cf Ejus kritische Geschichte der Religionen, Bnd. II. p. 474.

tiones in honorem Dei alicujus apud populos incultos non rarae erant, et forte imprimis praeputium in honorem Deorum mutilationem subiit, quia est pars illius organi, cui in hacce terra homo quandam immortalitatem debet, scilicet perdurationem generis sui (27). Attamen observandum est, hunc ritum non nisi apud populos calidiorum terrae regionum occurrere, neque apud eos, qui septentrionales habitant; eumque apud aliquos, uti v. c. apud incolas insulae Otaheite non ex religiosa quadam opinione observari (28). Neque solum apud Judaeos, Muhamedanos et idolorum cultores, sed etiam apud Christianos harum regionum calidarum incolas circumcisio perdurat, uti v. ç. apud Abyssyniae incolas (29) et apud eos, qui ad flumen Senegal habitant (30) et apud Christianos Aegypti incolas (31). Ex hisce jam quodammodo conficere possumus, circumcisionem in his regionibus aliquam utilitatem habere physicam; quam utilitatem ipse Herodotus videtur indicasse, dicens, Aegyptios pudenda munditiei caussa circumcidere (32).

§ 22.

Videamus igitur, quamnam utilitatem physicam ipsi circumcisi huic operationi tribuerint. Philo Judaeus (33) tres utilitates physicas indicat. Inserviebat 1° ut molestam illam ae-

---

(27) Pierer, l. c. p. 723.. — Delpech. in Diction. des Sciences Medic. T. V. p. 223. — Meiners (de circumcis. or. et. caus. p. 214 sqq.) praecipuam caussam circumcisionis fuisse credit, ut corporis mutilatione et effuso sanguine irata vel invida numina placarentur.

(28) Blumenbach, med. Bibl. Bnd. I. p. 485.

(29) Ludolphi, Historia Aethiopica, Lib. III. c. 1. t30) Pierer. l. c. p. 721.

(31) Jahn. I. Th. II. Bnd. p. 276. — Niebuhr. p. 76.

(32) Herod. II. 37.: «τά τε αἰδοῖα περιτάμνονται καθαριότητος εἵνεκε· προτιμῶντες καθαροὶ εἶναι ἢ εὐπρεπέστεροι.»

(33) Philo, de circumcisione, p. 211. ed. Mangey.

gritudinem, quem carbunculam vocant (ἣν ἄνθρακα καλοῦσιν), praecaverent, quae in praeputiatis facilius oriebatur. Secundo loco ut corporis munditiem, quae sacerdotibus decet, servarent: tertio denique circumcisio foecunditatem promovet, quia semen recta ejaculatur integrum nec diffluens per sinus praeputii; quo fit, ut gentes circumcisae omnium maximam habeant foecunditatem. Inquiramus, an Philo recte ita judicaverit, ab ultimo argumento initium facientes.

§ 23.

De circumcisionis utilitate ad foecunditatem promovendam etiam gentes circumcisae recentioris temporis loquuntur. Thevenot (34) dicit, Muhamedanos circumcisos generationi aptiores habere, quam praeputiatos: Arabes enim adeo longum habere praeputium, ut, nisi essent circumcisi, hoc illis magno impedimento esset in generatione; videre apud illos licet parvulos pueros, quibus longissimum circum glandem dependet. Eandem utilitatem circumcisioni tribuit Niebuhr (35), scilicet, ut per eam ad coitum multi viri apti fiant. Idem citat Christianum quemdam in urbe Mosul habitantem, qui propter praeputii longitudinem coitum non sine magno dolore perficere poterat, nec ullum adhuc cum uxore infantem procreaverat. Sed cum observatio Thevenotii de longiore Arabum praeputio non aliorum confirmetur observatione, cumque tale vitium in Asia meridionali non frequentius, quam in Europa occurrat, non est, cur credamus, hanc ob caussam fuisse institutam circumcisionem (36). Quin ipse Niebuhr dicit (37), nimiam longitudinem praeputii minime apud omnes Arabes occurrere: se vidisse, ait, in itinere ab urbe Bagdad ad Mosul

(34) Thevenot, Reizen, (Nederd. vert.) *Amst.* 1681. p. 71.

(35) Niebuhr, Beschr. von Arabien. p. 78.

(36) Michaëlis, Mos. Regt. IV. p. 39.

(37) Niebuhr. l. c. p. 79.

puerum Christianum flumen transeuntem, cujus praeputium adeo erat breve, ut eum circumcisum esse crederet, sibi vero roganti, an hoc ita, ut putabat, esset, respondisse eos, qui ipsum comitabantur, vitium tale saepissime occurrere apud eos homines, qui decrescente luna fuerant nati. Ex hisce conficere possumus, apud Asiaticos de vitiis congenitis praeputii idem atque apud alios homines valere, scilicet et praeputia brevia et longa apud eos occurrere, verum nec unum nec alterum vitium in hisce regionibus quasi esse endemicum. Aeque minus probatum est, quod de Judaeis credit Cullerier, eorum scilicet plerosque longo praeputio natura esse praeditos (38); neque etiam, quod Bauer (39) aliique putant, scilicet circumcisos prius, quam praeputiatos ad coitum perficiendum aptos fieri. Quare lubenter viro doctissimo Rosenbaum assentior dicenti, circumcisionem solummodo propterea, quod morbos a genitalibus arcet, ad prolem numerosam gignendam posse inservire, minime vero, quod praeputium sit impedimento generationi (40).

§ 24.

Magis observatione probatur altera utilitas, quam circumcisioni adscribit Philo, nempe eam ad munditiem servandam inservire. Est res medicis notissima, materiem sebaceam, quam glandulae Tysonis in basi glandis secernunt, aestate et in regionibus calidis copiosius secerni, rancidam fieri et saepe in frustula coire, quae praeputium et glandem irritant et prurigini molestissimae et inflammationi harum partium ansam dant, inprimis apud eos, quibus longum est praeputium (41).

(38) Diction. d. Sc. Med. Tom. XLI. p. 325.

(39) De causa foecunditatis gentis circumcisae. *Lips.* 1737. 4to.

(40) Rosenbaum, die Lustseuche im Alterthume. *Halle*, 1839. p. 367.

(41) Hildebrandt, Handb. der Anatomie des Menschen, besorgt von Weber.

Si ita glandulae sebaceae irritantur, secretio fit in illis substantiae flavescentis glutinosae, cujus acrimonia saepe est tanta, ut excoriationes in praeputio vel in ipsa glande oriantur et ulcerationes, quae primo adspectu facile cum affectionibus syphiliticis possint confundi: vocatur haec affectio gonorrhoea spuria, quae probe a balanitide syphilitica est distinguenda (42): raro dolores eam concomitantur, nisi et ipsum urethrae orificium afficiatur: sanatur lotionibus repetitis (53). Haec affectio ut evitetur, sedula lotione est opus; cum autem circumcisus facilius has partes lavare possit, quam praeputiatus, circumcisio ei magnae utilitati esse potest, quare illae nationes, apud quas usus hicce est receptus, eum retinent (44).

§ 25.

Sed graviora fiunt symptomata, si accedit phimosis congenita. Ante pubertatem facile urina inter glandem et praeputium remanet, qua non solum ipsum praeputium extenditur, sed et concrementa calculosa formantur: certe specimina ejusmodi calculorum servantur in supellectili Facultatis medicae, quae est Lutetiis Parisiorum (45). Etiam Thevenot Turcarum testatur se vidisse pueros longo praeputio praeditos, apud quos, post quamvis urinae evacuationem, aliqua urinae portio inter glandem et praeputium remanebat (46). Denique post pubertatem

---

Bnd. IV. p. 407. annot. 3. — Burdach, die Physiologie als Erfahrungswissenschaft. 2e Aufl. Bnd. I. p. 196. — Cf. Rosenbaum, l. c. p. 305.

(42) Rayer, Traité des malad. d. l. peau, p. 321.

(43) Jourdan, in Diction. d. Sc. Méd. T. XVIII. p. 431.

(44) Niebuhr, Beschr. von Arabien. p. 77. — Omitto alias opiniones, uti v. c. eam, quam Pauw (Reflexions sur les Americ. T. II. p. 129.) protulit, circumcisionem scilicet eam ob rem fuisse institutam, quod in calidis regionibus sub pellicula vel glande vermiculi nascantur.

(45) Cullerier, in Diction. d. Sc. Méd. Tom. XLI. p. 325. — Cf. Delpech, Ibid. Tom. V. p. 224.

(46) Thevenot, l. c.

phimosis morbo ansam dare potest, quem Philo ἄνθρακα, carbunculam, vocat. Cujusnam generis ille morbus fuerit, jam inquiramus. Periculosum eum fuisse, patet ex iis, quae apud Josephum de Apione legimus (47). Hic, cum circumcisus non esset, ex necessitate circumcisus est, utpote ulceratus circa pudenda, et cum nihil ei profuerit circumcisio, sed putresceret, magnis doloribus exspiravit. Naturam hujus morbi cum illa carbuncula convenisse, per se probabile est: sed ex aetiologia hoc unum habemus, Apionem non fuisse circumcisum: ad caussas remotas potuit pertinere vel coitus impurus, uti putare videtur Hensler (48), vel etiam phimosis congenita. Quod ad priorem caussam attinet, jam medici medii aevi circumcisionem utilem habuerunt, ut incommoda evitarentur, quae ex coitu cum muliere impura oriri possent. Sic jam Guido de Chauliac (49): «Circumcisio, inquit, multis est utilis, propterea quod non congregantur sordities in radice balani, quae calefaciunt ipsum.'' Quid autem intelligat auctor per «sorditiem'' patet ex eo, quod in hoc capite agit «de calefactione et foeditate virgae propter decubitum cum muliere foeda.'' Optime etiam hic locus Guidonis explicatur alio, quem ex Argelata citabimus. Hic enim, agens de pustulis, quae adveniunt virgae propter conversationem cum foeda muliere, dicit: «Ex materia venenosa, quae retinetur inter praeputium et pellem virgae, causantur istae pustulae, tales per hunc modum, quoniam ex retentione illius materiae, quae remanet inter pellem et praeputium ex actione viri cum foeda muliere, quae non respirat, putrefit. Deinde ille locus denigratur et mortificatur substantia virgae, quae restaurationem non reci-

---

(47) Joseph. contr. Apionem Lib. II. c. 13: «περιτμήθη γὰρ ἐξ ἀνάγκης, ἑλκώσεως αὐτῷ περὶ τὸ αἰδοῖον γενομένης· καὶ μηδὲν ὠφεληθεὶς ὑπὸ τῆς περιτομῆς, ἀλλὰ σηπόμενος ἐν δειναῖς ὀδύναις ἀπέθανεν.''

(48) Hensler, Geschichte der Lustseuche, *Altona*, 1783. I Bnd. p. 315.

(49) Guidonis de Cauliaco, Cyrurgia. *Venet.* 1498. tr. VI. doctr. II. c. 7. fol. 68. b.

pit, nisi corruptione illa remota et loco absterso. Hae pustulae et fiunt illo modo, quod inter praeputium et pellem retinetur materia, quam non possunt exhalare. Putrefiunt et fiunt pustulae albae vel rubeae (50)." Itaque si haec loca secum comparemus, habemus morbi indolem — est enim gangraena membri virilis: habemus et caussam morbi — sorditiem, quae ex actione viri cum foeda muliere inter pellem et praeputium congeritur; et remedium, quo tales affectiones vitari possint — circumcisionem. Praeter hos a me citatos auctores etiam alii hujus temporis medici de calefactione ista virgae ex materia venenosa post coitum impurum inter pellem et praeputium inclusa mentionem faciunt (51). Videtur contagium syphiliticum imprimis ad fraenulum praeputii congregari, quare etiam Nigri Africani circumciduntur non ex caussa religiosa, sed ex diaetetica (52). Quin et doctissimus Rosenbaum (53) videtur suspicari Josuam (Jos. V: 2 sqq.) ideo denuo circumcisionem populo, antequam terram Chananaeam intraret, praecepisse cum nuper apud ipsum populum vidisset, quaenam incommoda ex coitu cum foeminis foedis oriri possent. Auctor enim (54) credit, Israëlitas, quum cum Moabitarum et Madianitarum puellis scortati fuissent (IV. Mos. XXV: 1.), morbo quodam syphilitico fuisse affectos: secundum virum doctissimum horum Deus Baal-Phegor fuit species Priapi, in cujus templo puellae prostituebantur (55). Miserat enim rex Balacus, suadente vate Balamo, hasce puellas, ut juvenibus complexus expetentibus faciles se praeberent; ubi vero cupidine captos et irretitos vidissent, fugam simularent; et obsecrantibus, ut ma-

(50) Argelata, Chirurgia. Libri VI. fol. *Venet.* 1480. Lib. II. tract. 30. c. 3.

(51) Lanfranc, Parva cyrurgia doct. III. c. 2. — Gulielmus Salicetus, Cyrurgia. Libri I. c. 48.

(52) Schotte, on the synochus atrabiliosa, p. 98.

(53) Die Lustseuche im Alterth. p. 365. (54) Rosenbaum, l. c. p. 82 sq.

(55) Cf. Creuzer, Symbolik. Bnd. II. p. 85. — de Wette, Archaeologie, § 232. p. 233. — Winer, Realwörterb. art. *Baal*, p. 139, et *Chamos*, p. 260.

neant, non prius annuerent, quam iis persuasissent, ut, relictis patriis legibus et cultu Dei, a quo eas accepissent, Madianitarum et Moabitarum Deos colerent (56). Puellas certe a rege missas meretrices fuisse, infitias ibit nemo. Moses omnes, qui cum Baal-Phegore consueti essent, interfici jussit (IV. Mos. XXV. 5): illi vero, qui mortem hanc evaserant, peste perierunt (57). Dein (IV. Mos. XXXI. 1. sqq.) Moses populo praecepit, ut Madianitas aggrederentur, ab iisque Jehovae poenas expeterent. Hi omnes mares interfecerunt, mulieres vero et parvulos captivos ceperunt; Moses autem iratus jussit et omnes mares impuberes omnesque mulieres, quae viri notitiam concubitu habuissent, interfici, omnes vero impuberes mulieres, marium conjunctionis ignaras, conservari, ut distribuerentur. Itaque non eam ob rem interfici mulieres jussit Moses, ne Israëlitis esset occasio, rem cum paganis mulieribus habendi; quae enim si caussa fuisset, quare eas, quae virorum conjunctionis erant ignarae, in vita servasset? Praeterea ipse populo suo legem dederat, qua huic licebat matrimonia cum captivis inire (V. Mos. XXI. 10. sqq.). Sed secundum virum doctissimum vera caussa, quare ita severe egerit Moses, fuit ea, ne contagium latius per populum disseminaretur; hanc etiam ob caussam omnes, qui huic expeditioni contra Madianitas interfuerant, per septem dies extra castra remanere debuerunt (Ibid. vs. 19.) quod nunquam post alia cum hostibus proelia exercitui praecipiebatur. Ita doctissimus Rosenbaum. Equidem non crederem, jussum Mosis de interficiendis Madianitarum foeminis, nobis caussas sufficientes praebere, ut de contagione syphilitica cogitemus; neque etiam impuritas illa exercitus per septem dies. Saepissime enim Jehova Israëlitas mandavit, ut impios Chananitas omnes interficerent (de Amalechitis, v. c. cf. 1. Sam. XV. 3.), licet de nullo morbo contagiosa fuerit cogi-

(56) Joseph. Antiq. Judaic. Lib. IV. c. VI. § 6. (57) Idem. L. IV. c. VI. § 12.

undum; et quod ad illam impuritatem per septem dies, magis veri simile mihi videtur, hanc exercitui fuisse impositam, ut toti populo innotesceret, quantum crimen esset idololatria, quippe qua et ipsi, qui impios idolorum cultores punierant, per septem dies impuri redderentur. Iteratio autem legis de circumcisione (Jos. V. 2) satis explicatur ex priore (I Mos. XVII. 10—14) et altera (III Mos. XII. 3.) hujus ritus institutione; qui ritus, cum durante itinere per deserta fuisset neglectus, tali iteratione, antequam populus Chananaeam ingrederetur, valdequam indigebat; priores vero hujus ritus institutiones, diu antequam cum Moabitarum mulieribus scortaretur populus, locum habuerant. Attamen, quum auctor in opere laudato abunde probaverit, affectiones partium genitalium morbosas revera apud veteres exstitisse ex eorumque dissoluta vitae ratione originem duxisse, cum aliqua veri specie affirmare possumus, apud Moabitas et Madianitas, quorum mores dissoluti satis ex sacris Codicibus et ex Josephi narratione nobis innotescunt, tunc temporis partium genitalium affectiones exstitisse; adeo ut circumcisio Israëlitis hanc utilitatem habuerit, ut, siquando cum foedis mulieribus rem habuissent, a contagio immunes remanerent: licet non credam, Josuam hanc ab caussam circumcisionis legem denuo instituisse.

Sed redeamus ad Apionis morbum et carbunculam Philonis. Licet itaque fieri potuerit, ut Apion, uti putare videtur Hensler, ex concubitu cum muliere foeda sibi gravem illum morbum contraxerit, tamen etiam extra coitum morbo mortali genitalium affectus fuisse potest; si nempe illo vitio, quod phimosin congenitam nuncupamus, laboraverit. Cullerier (58) dicit, apud phimosi laborantes, quum puberes fiunt, sebum majore copia secerni: per frequentes erectiones glans tumet et compressionem patitur; per hanc compressionem, uti et per sebi accumulationem, oriuntur irritationes, inflammationes et

(58) Diction. d. Sc. méd. Tom. XLI. p. 325 sq.

exulcerationes superficierum, glandis cum praeputio concretiones, et, si inflammatio est acuti generis, gangraena partis alicujus praeputii; si vero chronici generis, secretio nimia, continua materiae sebaceae, prurigo molesta, rubor erysipelatosus superficierum sibi respondentium, induratio et intumescentia praeputii et denique hujus organi cancer. An ad unam alteramve harum morborum specierum ἡ ἑλκώσις Apionis sit referenda? Gangraena praeputii raro ipsam glandem afficit, et, postquam partes gangraenosae sunt remotae, vulnera facile sanantur, nisi adsint complicationes. Interdum gangraena tam late serpit, ut amputatione penis opus sit. Haec, si, uti plerumque fit, gangraena illa oblinet in homine robusto et plethorico: at si ex debilitate oritur, graviora accidunt (59). Talem gangraenam absque contagio syphilitico posse oriri, idem jam saepius laudatus ait Cullerier (60). Si itaque Apion cum phimosi talem debilem habuerit constitutionem, ex gangraena praeputii mortuus esse potest. Sed est etiam, cur credamus Apionis ἑλκώσιν et Aegyptiorum ἀνθρακα fuisse cancrum penis. Jam Celsus (61) observavit, aestatem efficere cancros, in caeteris quidem partibus, sed maxime obscoenis; et recentiorum observationes abunde probarunt, cancrum penis ex locali caussa plerumque oriri. Jam vir eruditissimus Roux suspicatus fuerat phimosin esse caussam praedisponentem carcinomatis penis. Ipse bis penem propter tale vitium cum amputasset et operationem semel a Boyero institutam vidisset, in his tribus casibus phimosin congenitam antecessisse (62); caussas autem occasionales easdem, quas accepit Cullerier, observave-

---

(59) Cullerier, Ibid.

(60) Diction. d. Sc. Méd. Tom. XXXIX. p. 271. „Depuis la plus haute antiquité la gangrène des parties génitales règnant épidémiquement a été observée dans les pays chauds chez les populations peu soigneuses de la propreté."

(61) Celsus, Lib. II. c. 1. p. 33. ed. Targae.

(62) A Narrative of a Journey to London in 1814, by Ph. J. Roux. fr. the French. *London*, 1816. p. 261.

rat; ad caussas occasionales etiam refert pressionem ex repetito coitu. In itinere, quod anno 1814 Londinos fecit, opinio ejus confirmata est observationibus ab eruditissimo Hey enarratis in opere inscripto *Practical Observations in Surgery*. Ex duodecim carcinomate penis laborantibus, in quibus amputationem instituerat Hey, novem phimosi sive congenita, sive acquisita laboraverant: quae perduraverat, donec ipsum carcinoma se manifestasset. Observandum est, post amputationem penis tantummodo in tribus illis, qui non phimosi laboraverant, carcinoma denuo exortum fuisse; in aliis novem non item. Neque in utroque aegro doctissimi Roux tunc temporis (sex post operationem annis elapsis) ullum vestigium carcinomatis iterum prodierat (63). Quapropter auctor iis, *qui* phimosin congenitam habent, imprimis circumcisionem commendat. Haec viri eruditissimi opinio aliorum observationibus confirmatur. Clarissimus Langenbeek (64) dicit: cancrum penis in plerisque casibus tanquam speciem cancri cutanei oriri, fere semper primum initium facientem in praeputio, vel in glande, cujus pellicula est praeputii continuatio: incipit ex tumore quodam indurato, qui imprimis per irritationem, quae facile in hac parte accidit, in ulcus cancrosum transit, quod sensim sensimque latius serpit, adeo ut tota penis ad arcum ossium pubis usque possit deleri. Natura ulceris est prorsus carcinomatosa, cum excrescentiis fungosis, secretione ichoris foetidi et doloribus vehementissimis. Putat Cl. Langenbeck (65) caussam hujus carcinomatis speciei localem esse, idque propter faustum exitum amputationis, quam non facile, uti in carcinomate glandularum, recidiva insequuntur. Ad caussas praedisponentes phimosin refert (66), in qua saepissime glans

(63) Roux, l. c. p. 262.

(64) Langenbeck, Nosologie und Therapie der Chirurgischen Krankheiten. Bnd. V. Abth. II. *Göttingen*, 1840. p. 818.

(65) Ibid. p. 819. (66) Ibid. p. 820.

crusta quadam secretae substantiae sebaceae, imprimis in hominibus immundis, est tecta, et in qua ulcerationes facile formantur. Erudit. Earle (67), se *semper* nimis longum praeputium vidisse ait. Sunt tamen etiam casus, in quibus hoc vitium non tanquam carcinoma cutaneum, sed ex induratione scirrhosa parenchymatis ipsius penis (68) initium facit; ad quos tres illae observationes eruditissimi Hey, in quibus rediciva sunt insecuta, pertinere videntur. Si ex praeputio hoc carcinoma incipit, plerumque ejus superficies interna primum afficitur et per coronam glandis ad ipsam glandem malum transit, adeo ut haec sana conspici licet, quamvis praeputium excrescentiis fungosis sit refertum. Observationes praeceptoris aestumatissimi Sebastian optime cum dictis conveniunt. Ipse saepius herpetem praeputialem in phimosi vidit, quin unum casum, in quo herpes praeputii tanquam ulcera syphilitica fuerat tractatus, eo effectu, ut jam excrescentiae fungosae exortae essent. Ex anamnesi vir Clarissimus confecit, non caussam syphiliticam, sed herpetem adfuisse; jamque usus localis decocti herbae Malvae perfectam sanationem effecit. Et huc etiam pertinere mihi videtur narratio, quam ex Anglorum medico (Russel) in urbe Haleb degente accepit Niebuhr (69), de viro quodam, qui, quum in India orientali agens eam tantum munditiem observasset, quam in Europa, quibusdam tumoribus sub glande est affectus, quibus immunis remansisset, si fuisset circumcisus. Ex hisce patet, phimosin congenitam solam sufficere absque ulla caussa syphilitica ad cancrum penis efficiendum; et forte ad hanc morborum speciem est referenda carbuncula, de qua mentionem facit Philo. Nunc forte quis rogabit, an ex hocce morbo locali mors possit oriri, uti in casu Apionis? Clarissimus Langenbeck amputationis penis prognosin faustam habet, dummodo glandulae inguinales non sint induratae; quae

(67) Rust's Magazin. Bnd. 19. Heft. I. p. 21.

(68) Langenbeck, l. c. p. 819. (69) Niebuhr, Beschreib. von Arabien. p. 77.

vero si ulceratae sint, metus adest, ne tota constitutio in consensum rapiatur (70); in tali casu profecto ipsa amputatio penis non juvat, et mors insequatur, necesse est. Neque etiam mirandum est, Apioni, si morbus ad hunc gradum pervenisset, circumcisionem nihil profuisse.

§ 26.

Ut igitur paucis omnia contraham: circumcisio in calidis regionibus magnam utilitatem habet, ad munditiem promovendam: ab iis vero, qui sive contagio syphilitico fuerant expositi, sive phimosi congenita laborant, graviora mala avertit. Multi nimis subtiles fuerunt, quum de circumcisionis physicis utilitatibus indagarent. Ad quos, me judice, pertinent ii, qui, uti Ackermann (71), putant, circumcisionem impedire, quominus adeo facile libido oriatur, quum scilicet circumcisi minus ad masturbationem essent proclives, quippe qua dolores efficerentur. Equidem cum clarissimo Michaëlis (72) hanc circumcisionis utilitatem non multi facio, cum neque ex theoria neque ex observatione probari possit, circumcisos huic vitio minus quam caeteros homines deditos fuisse, neque ex historia pateat, inter Judaeos non, uti inter caeteras omnes gentes, masturbatores exstitisse (73).

De legibus Mosaïcis, quae diaeteticam utilitatem habuisse videntur.

§ 27.

Doctissimus Carassone de Hebraeorum medicina verba fa-

(70) Langenbeck, l. c. p. 820. (71) l. c. p. 69.
(72) Mos. Regt. IV. p. 41 sqq. (73) Cf. Buxtorf. Lexicon Chald. p. 112 sq.

viens, dicit, Mosem peritiorem artis illius, qua morbi praecaventur, quam ipsius artis medendi fuisse (74). Sed, recte sic judicari Mosem, ipse dubito: non enim viri divini potuit esse consilium, in libris, qui ab eo conscripti nobis supersunt, praecepta de morbis curandis tradere, uti jam in capite, ubi de lepra sum locutus, exposui: ex ipsius vero leprae accurata symptomatum essentialium descriptione et ex signis partium genitalium morbi, quae in capite XV. Libri tertii, qui Mosi inscribitur, traduntur, patet, hunc nosologiae, certe quod ad morbos externos attinet, ignarum non fuisse. Quod autem ad rei diaeteticae peritiam Israëlitarum legislatoris attinet, hujus argumenta imprimis petuntur ex legibus cibariis et ex iis, quae de variis partium genitalium impuritatibus agunt. Hos igitur, quum mihi necessitudo inter leges Mosaïcas et medicinam sit indicanda, nunc pertractare volo, non ut eas prorsus medicas pronuntiem, sed tantummodo ut appareat, quamnam utilitatem religionis cultus Israëlitis habuerit ad corporis integritatem servandam.

§ 28.

Initium faciam ab iis, quae partes genitales, earumque affectiones spectant et primo quidem loco ab impuritate ex coitu legitimo. Hujus autem impuritas ad vesperam usque perdurabat (III. Mos. XV. 19). Multos Asiae populos ex hoc actu impuritatem quandam oriri, credidisse, ex profanis auctoribus abunde patet: Assyrios, Babyloniosque post coitum semper mane lavari, antequam aliquid attingerent, affirmant Strabo et Herodotus: quorum hic idem de Arabibus narrat (75); apud Aegyptios etiam nefas ducebatur, illotum a concubitu in tem-

(74) Essai historique sur la médicine des Hébreux par David Carassone, *Montpellier*, 1815. p. 29.

(75) Strabo. Lib. XVI. p. 1031. B. — Herod. Lib. I. c. 198.

pla intrare (76). Apud hos usus hocce ex caussa diaetetica originem duxisse non videtur, sed arctissime cohaesisse cum ea tam late per harum regionum incolas vulgata opinione, qua omnibus iis, quae ad partes genitales pertinent, homines contaminari credebantur. Hanc opinionem etiam apud Israëlitas exstitisse, nemo mirabitur, adeo ut lex Mosaïca optime conveniret cum iis, quae ad sanctitatem populi sacerdotalis pertinere ipsi Hebraei putabant. Ne tamen, physica quadam utilitate legem destitutam fuisse, credamus. Nam non solum ea mundities, in illis regionibus adeo necessaria, promovebatur et genitalium morbi praecavebantur, sed etiam eadem prohibebat, quominus nimis Veneri indulgerent Israëlitae et corpus suum debilitarent. Polygamiam etiam, quam, utpote arcte cum Asiaticorum omnium moribus cohaerentem, prorsus abrogare non facile legislator poterat, hac lege cohiberi, autumat Michaëlis (77).

§ 29.

Eadem, quae ex coitu oriebatur, impuritas etiam iis imponebatur, quibus semen effluxisset, omniaque vestimenta et stragula omnia, quae hoc fluxu contaminata essent, aqua erant lavanda, atque ad vesperam usque impura (III Mos. XV: 17. 18). Haec lex certissime ad pollutiones nocturnas spectabat; ita saltem ipsos Judaeos eam intellexisse, tum ex Talmude patet, tum ex iis, quae de Pontifice Matthia, tempore Salvatoris nostri vivente, narrat Josephus (78); cui, cum ea nocte, quae

---

(76) Herod. Lib. II. c. 64. — Cf. Euseb. Praep. Evang. Lib. X. c. 6. p. 475. C. (ed. Vigeri. *Paris*. 1627.)

(77) Ejus argumenta exposita vide in opere saepius laudato: Mos. Regt. I. p. 302—306.

(78) Joseph. Antiq. Judaïc. Lib. XVII. c. 6. § 4. Haec narratio adversa videtur iis, quae in Talmude traduntur: non enim solebant Pontifices ea nocte, quae

Jejunii diem antecessit, pollutionem habuisset, ideoque rem divinam facere non posset, vicariam operam praestitit Josephus Ellemi filius, consanguineus ejus. Jahn (79), quod ad diaeteticam utilitatem, hanc legem imprimis pueros spectasse, ne scilicet parentes ignorarent, si quando pollutio iis accidisset, credit. Negari certe nequit, verisimile esse, parentes, ne talis impuritas pueris adhaereret, neve ipsi ex contactu liberorum polluti fierent, cautos fuisse, ne sibi horum emissiones seminis involuntariae laterent. Ita accidit, ut, si tales saepius, quam par esset, locum haberent, parentes ea in auxilium possent vocare, quibus humorum versus eas partes affluxus imminueretur, et diaeta frugali vitaeque laboriosa ratione morbosam systematis genitalis tollere irritabilitatem. Certissime hac lege, si studiose eam observari curarent parentes, a masturbatione abstinebantur pueri, quum frequentes impuritates non possent, quin parentum in liberorum mores attentionem moverent, adeo ut ipsi pueri prae metu rei patefactionis a vitio illo deterrerentur.

§ 30.

Ab hac pollutione nocturna legislator Hebraicus probe distinxit morbum, quem nos gonorrhoeam, blennorrhoeam, sive urethritidem vocamus. De hoc morbo scilicet videntur ea intelligenda, quae III. Mos. XV. 1—15., traduntur. Cum ex coitu vel pollutione unius tantum diei impuritas oriretur simplici lotione tollenda, fluxus, de quo in versibus citatis est sermo, impuritatem septem dierum efficiebat, quae non simplici lotione, sed oblato holocausto et sacrificio piaculari debebat

antecedebat solemnem expiationis diem, dormire ob metum pollutionis. Relandus (Observ. in h. l. ed. Havercampii. p. 844. T. I.) tamen dubitat, an ex hoc usu colligi possit, nunquam ullum Pontificem in somnum incidere potuisse.

(79) Jahn. l. c. p. 343.

auferri. Hanc majorem impuritatem graviorem affectionem spectare, per se patet, adeo ut liquor ex partibus genitalibus defluens (vs. 2) non (uti vs. 17.) de semine sit intelligendus, sed de muco purulento ex inflammatione urethrae producto, Mosemque gonorrhoeam cognovisse, statuere possimus. Utrum haec gonorrhoea fuerit talis, qualis benignior ex scrofulosi apud infantes, ex arthritica caussa apud adultos, ex refrigerio apud eos, qui laxam constitutionem habent, absque coitu oriri potest, an vero talis, qualis ex contagio gonorrhoeico exorta virulenta dicitur, ut dijudicemus, videndum est, quaenam symptomata huic affectioni Moses adscripserit. « Atque hujusmodi ejus fluxionis pollutio erit: ejus membrum liquorem exspumabit, vel eo praeclusum erit (vs. 3)." Clarissimus Michaëlis (80) haec verba ita intelligit, quasi dixisset legislator: « quando talis est affectio, ut fluxus adsit, vel talis, ut hic fluxus sit obstipatus:" hic fluxus obstipatus secundum virum laudatum est gonorrhoea ita dicta sicca. Cl. van der Palm locum ita vertit: « Ita autem est ejus impuritas ex fluxu: si materia fluens secundum corpus destillat, vel corpori adhaeret; haec est ejus impuritas (81)." In annotatione vero dicit vir Clarissimus, in Hebraico textu ita proprie legi: « si corpus a fluxu praecluditur (*indien zijn vleesch zich verzegelt, of toesluit van zijnen vloed*)." Ex hisce patet, revera in altero casu, uti putat Michaëlis, sermonem esse de statu fluente, in altero autem de statu non fluente: atque hunc statum non fluentem minime ex affectionis sanatione ortum esse, sed morbosam esse conditionem; nam huic eadem impuritas imponitur, quam illi. Cum viro Clarissimo Michaëlis itaque hanc conditionem siccam intelligimus de eo vehementi urethritidis gradu, quando ex

(80) Mos. Regt. IV. p. 301.

(81) Van der Palm, in versione hujus loci: »*Zoodanig is zijne onreinheid om zijnen vloed: indien de stof bij zijn ligchaam afdruipt, of aan zijn ligchaam kleeft, dat is zijne onreinheid.*

gravi inflammatione secretiones impediuntur, quando dolor et ardor partium est maximus et ex erectione laterali chorda oritur. Haec vehemens urethrae inflammatio non nisi ex contagio gonorrhoeico originem ducit, quod susceptum imprimis in junioribus et robustis acuta talia symptomata producit, qualia in gonorrhoea ex dyscrasia quadam exorta non adeo facile in lucem prodeunt; adeo ut nullum sit dubium, quin Moses de gonorrhoea virulenta sit locutus, uti credit etiam Rosenbaum (82). Quod porro versu 7 dicitur: «Qui ejus corpus tetigerit, vestimenta sua eluito et aqua lavator, atque ad vesperam usque pollutus esto:" secundum Clarissimum van der Palm (83) est intelligendum de praestando auxilio chirurgico et medico: quod si ita est, etiam potius de gonorrhoea virulenta valet, in qua nonnulla symptomata acuta (chorda v. c.) non tolli possunt, nisi localis curatio generaliori accedat, cujusque symptomata consecutiva (strictura v. c. aliaeque mucosae degenerationes) sola fere locali curatione tractantur. Alia est quaestio, an haecce gonorrhoea etiam syphilitici generis fuerit: pro certo hoc affirmare non ausim. Michaëlis (84) suspicatur, verba: «Qui mundus ab illo consputus fuerit (vs. 8.)," esse intelligenda de salivatione, quae gonorrhoeam virulentam nonnumquam concomitetur: sed cum salivatio non ex ipsa affectione, licet syphiliticae fuisset indolis, verum ex usu Mercurialium oriatur, Mercurialium autem praeparata recentiori demum tempore sint composita, non video, quomodo ex hoc loco certa argumenta deducere possimus, quibus credamus legislatorem Hebraïcum hic de morbosa quadam salivatione cogitasse; me judice, ex eo potius patet, quanta hujus affectionis impuritas apud Hebraeos fuerit. Hoc etiam valet de impuritate vasorum fictilium et ligneorum, quibus haec certissime non ob morbi contagium imponebatur,

---

(82) Die Lustseuche etc. p. 306.

(83) Cf. Ejus annot. in hunc locum. Etiam Michaëlis. Cf. l. c.

(84) l. c. p. 302.

quia illud non est tantum, ut cum vasis et per haec cum hominibus communicetur: quin etiam, nisi ex versibus 3o et 7o virulentiam et contagium morbi satis comperta haberemus, ex impuritate, ipsi aegrotanti imponenda, ad contagiosam morbi naturam concludere non auderem, uti facere videtur Rosenbaum (85); quum eadem impuritas multis affectionibus imponeretur, quae minime contagiosam naturam habebant. Impuritas nihilominus, quae ipsi gonorrhoeico imponebatur, utilitate physica non carebat; cum enim quicumque eum attigisset, etiam esset impurus, ejus attactum quisque vitaret, adeo ut non facile per coitum morbum suum cum aliis communicaret: lex itaque curavit, ne latius per populum malum disseminaretur. Altera utilitas aegrotantem ipsum spectabat: qui, cum impuritas non tolli posset, nisi octavo die, postquam a fluxu purgatus fuerat, haec autem impuritas magna incommoda secum duceret, non dubitaret, ea in auxilium vocare, quibus morbus sanaretur. In lege Mosaïca de curatione hujus morbi non est sermo; nam lotiones, quae octavo, postquam fluxus desierat, die erant instituendae, ad curationem non pertinent, sed symbolicam tantum significationem habent, quippe per quas Leviticae impuritates omnes tollerentur. Lotiones frequentes, quae post quamvis impuritatem erant instituendae, in calidissimis regionibus utilitate quadam physica certissime non carebant: cum enim multae impuritates essent ejusmodi, ut non facile quis diu ab iis immunis remanere posset, saepius lotiones instituerentur necesse erat, quibus adeo repetitis corporis mundities optime conservabatur, quae facile ex majore perspiratione cutanea pateretur.

§ 31.

Haec de virorum impuritate. Varias etiam de foeminis men-

(85) Die Lustseuche. etc. p. 385.

struatis leges Moses tulit. Omnis foemina durante tempore menstruationis per septem dies impura erat: quisquis eam attigisset, ad vesperam usque erat pollutus. Haec impuritas etiam omnia, quibuscunque decubuisset, vel quae alio modo contigisset, complectebatur; eademque erat mulieri, cui sanguis complures dies alieno a menstruis tempore aut ultra menstrua fluxisset (III. Mos. XV. 20. sqq. 26. sq.) Hujus itaque legis quaenam fuerit physica utilitas, jam nunc inquiramus. Variae de hujus periodici fluxus natura opiniones apud fere omnes populos exstiterunt. Superfluitatem (περίττωμα) sanguinem menstrualem vocat Aristoteles (86); etiam semen quoddam muliebre, non quidem purum, sed elaboratione egens (87). Haec de sanguinis menstrualis impura et minus elaborata natura opinio forsan exorta est ex eo, quod non eodem vigore ac sanguis e venis missus coeat, ideoque revera minus perfectus videri possit (88). Vulgus illius sanguinis impuritati multas autem damnatas qualitates adscripsit, de quibus tamen Aristoteles veteresque medici cogitasse non videntur. Ita hoc sanguine mulieres viros *imbubinare* dicit Lucilius (89), eumque *lunare virus* vocat Lucanus (90). Ex iis, quae de hoc fluxu dicit Plinius, discimus imprimis, quasnam ridiculas de menstruis opiniones vulgus hoc tempore habuerit. „Nihil facile

---

(86) Aristoteles de Generat. Lib. I. c. 19.

(87) Ibid. c. 20. „ἐστὶ τὰ καταμήνια σπέρμα οὐ καθαρόν, ἀλλὰ δεόμενον ἐργασίας."

(88) Juxta multorum opinionem ex absentia substantiae fibrosae est explicandum phaenomenon illud, sanguinem menstrualem eodem vigore, ac sanguis ex venis missus, non coagulari. Doct. Retzius vero, in sanguine menstruali acidum phosphoricum et lacticum liberum contineri, expertus est; quae acida, in vasis uterinis formata, ita substantiam sanguinis menstrualis fibrosam modificare vel solvere videntur, ut ejus praesentia reagentibus amplius demonstrari nequeat. (Schmidt's Jahrbücher 1837. VIII. p. 147.)

(89) Lucilii reliquiae, ed. Havercamp. p. 208. Ita saltem vocem *imbubinare* explicat Festus (de verborum significatione): *Bubinare* [bubones efficere] est, menstruo mulierum sanguine inquinare.

(90) Lucanus. VI. 699.

reperiatur mulieris profluvio magis monstrificum. Acescunt superventu musta, sterilescunt tactae fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, et fructus arborum, quibus insedêre, decidunt, speculorum fulgor adspectu ipso hebetatur, acies ferri perstringitur, eborisque nitor: alvei apium emoriuntur: aes etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus aera: et in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur (91); equae, si sint gravidae, tactae (hoc sanguine) abortam patiuntur etc." Istae Plinii veterumque de sanguinis menstrualis impuritate opiniones quin superstitiosis medii aevi temporibus perduraverint, nemo dubitabit. Credebantur omnia, quae corpori impura infuissent, hoc sanguine menstruali contineri (92); quin chirurgi in vulneribus ligandis a linteaminibus ex indusiis mulierum factis propter menstruationis noxias qualitates abstinebant (93). Materiam venenosam hunc sanguinem nuncuparunt; quod venenum, secundum eruditissimum Hensler, quippe mulieribus solis proprium, forte locum dederit, ut in mediis aevis his imprimis magia tribueretur (94). Neque solummodo Plinii fabulas acceperunt, sed etiam earum explicationem tentarunt (95).

---

(91) Plin. Hist. Nat. Lib. VII. c. 15. Cf. Lib. XXVIII. c. 7.

(92) Arnaldus de Villanova, Breviar. Lib. III. c. 7. de menstruis: "Nora, quod matrix est ita in corpore mulieris locata, tanquam receptaculum omnium superfluitatum corporis, quemadmodum est sentina navis, ad quam omnes superfluitates navis decurrunt."

(93) Marcellus Cumanus, Observat. de lue venerea. Obs. XI. (apud Welsch Syll. obs. et Cur. med. p, 40.). "Petia alba vetus et subtilis camisiae virorum, non autem mulierum propter menstrua."

(94) Hensler, Gesch. d. Lustseuche, Th. I. p. 206. annot. 37.

(95) Ita v. c. Joh. de Ketham, (fasciculus medicinae, *Venet.* 1513. fol.) quem citat Hensler, l. c. p. 305. annot. 83.: "quare oculus mulieris menstruosae inficit speculum? Respondeo valde naturaliter, quod, quando menstrua fluunt in muliere, tunc fumus venenosus resolvitur ab ea, qui adscendit caput mulieris, petens ibi exitum — et quia oculi sunt porosi, ergo ibi petit exitum ille fumus — et aër contiguus ab oculis inficitur; et ille aër iterum alium, usque ad speculum objectum; et quia mundum est et politum, ideo facile inficitur."

Quin etiam recentiori tempore a viris eruditis huic sanguini mirae quaedam qualitates inesse credebantur, inter quos Sprengel (96) dixit, hoc sanguine, licet venenatus non sit, halitus quosdam simul emitti, qui in distans agere et fermentationem vini aut cerevisiae producere possunt. Haec omnia, uti per se patet, potius hypothetica, quam prudenti observatione fundata sunt: putridi aliquid hic sanguis certe non continet, adeo ut de damnatis ejus qualitatibus nihil liqueat (97). Ne itaque physicas utilitates legis Mosaïcae de impuritate foeminae menstruatae inquiramus; forte, uti Cl. Michaëlis putat (98), jam ante Mosis aetatem apud Israëlitas fluxus menstrualis impurus habebatur (99), quam opinionem, quippe quae nocere non posset, servaverit legislator; licet hac ratione, me judice, nondum sit explicatum, quare hanc acceptam opinionem in *legem* verterit. Cum vero hac de re, quippe quae ad medicinam certe non pertineat, inquirere, nostrum non sit, jam potius videamus, quamnam utilitatem altera de muliere menstruata lex habere potuerit, ea scilicet, quae agit de coitu cum menstruata. Quicumque cum tali cubuisset, per septem dies esset pollutus (vs. 25): sin vero mulier viro sui sanguinis fluxum indicasset, adeo ut conscius cum menstruata rem habuisset, ambo de numero suo tollerentur (III. Mos. XX. 18). Etiamsi cum Cl. Michaëlis (100) hanc poenam non ita accipiamus,

---

(96) Sprengel, Institut. Physiol. Tom. II. I. 3. cap. 2. § 517.

(97) Pierer, Medizinisches Realwörterb. V. p. 163. Cf. Joh. Müller, (Handbuch der Physiologie des Menschen. Tom. II. p. 640.), qui fatetur, caussam menstruationis ejusque periodici reditus esse incognitam: sed veterum opinionem de purgatione quadam corporis aperte falsam esse dicit.

(98) Michaël. Mos. Regt. V. § 271.

(99) Jam odor, qui multis foeminis menstruatis est proprius Israëlitas inducere potuit, ut tales impuras pronuntiarent. Accedit, quod apud eas, quae hoc lintei ope non praecavent, sanguis humi cadat, omniaque contaminet, imprimis in regionibus calidioribus, ubi menses copiosius fluunt.

(100) Mos. Regt. V. § 271. p. 342.

ut rei revera capitis damnarentur, sed potius ex aliorum societate expellerentur, adeo ut per reliquam totam vitam essent impuri, tamen semper ad gravissimas haec poena pertinet, adeo ut legislatoris quam maxime interfuisse videatur, ut hanc legem probe observarent Israëlitae. De coitu durante menstruatione vulgi opiniones haud pauciores, quam de venenata ipsius hujus sanguinis natura fuerunt. Noxae ex tali coitu vel foetum, vel virum foeminamve spectant. Ex tali coitu lunaticos, leprosos, maleficos et obliviosos infantes nasci facile credebant, qui ex assumto sanguine menstruali tales morbos oriri putabant (1). Alii ex tali copulatione, si mulier concipiat, conceptos effici vitiosos defectu membri, ut digiti, vel privatos visu etc. putarunt (2). Et nostris etiam temporibus, ex tali coitu rufos procreari, vulgi est opinio notissima (3). Haec omnia, cum nullis argumentis sint comprobata, refutare non conabor: ipsa diversitas malorum, quae, quisque pro sua theoria, huic coitui adscripserunt auctores, abunde probat, omnes opinionem de malo quodam ex hoc coitu oriundo praeformatam habuisse, dein etiam facile aliquid de hujus mali natura excogitasse. Alii fuisse videntur, qui copulationem cum menstruata prorsus infoecundam esse (3*) crediderint: sed et hi argumenta omittunt, eorumque opinioni adversatur aliorum opinione, qui contendunt, mulierem tantummodo eo tempore, quo sanguis menstruus collectus fluxurus est, ad conceptionem aptam esse, quamobrem etiam rarius mulieres conciperent, quam caetera animalia, utpote tunc a virorum consortio maxime abs-

---

(1) Cf. Schurig, Parthenologia. Sectio II. cap. XI. § 6.

(2) Michaël. Scoti Secreta naturae. Lib. cap. 7. Argentor. 1637. 8vo. p. 229. Cf. Pierer, l. c. p. 163.

(3) Medicum quemdam rusticum etiam hanc opinionem habere, narrat auctor opusculi: Stolpertus, Ein junger Arzt am Krankenbette. *Manheim*, 1801. Th. II. p. 75.

(3*) Cf. Michaëlis. l. c.

tinentes (4): nec tamen horum opinio firmis argumentis probatur. Quam plurima vero, quae ex coitu durante menstruatione oriri creduntur, incommoda viri genitalia spectant. Hac jam verbum illud Lucilii *imbubinare* — bubones efficere — spectabat: et Hieronymus Mercurialis (5) dixit, in coitu diligentiam adhibendam esse, ut fugiantur mulieres menstruatae: illud enim compertum esse, posse homines ejusdem usu veneris venenari: cum etiam medici, qui de lue venerea in initio saeculi XVI scripserunt, saepius mentionem faciant de calefactione et charolis, qui solent accidere propter coïtum calidae mulieris et noviter menstruatae (6). Licet probabile sit, uti Hensler (7) observat, medicos saepius mulierum fluxus naturales et morbosos confudisse, illisque effectus adscripsisse, qui his potius erant proprii, tamen, incommoda ex coitu cum menstruata oriri posse, etiam recentiores comprobarunt. Sic Astruc (8) dicit, in hac nostra Europa, quae magis temperata est, si cum menstruatis res habeatur, balanum et praeputium leviori phlogosi aut superficiariis pustulis, quae tamen brevi cessant, plerumque affici. De affectione syphilitica certissime Astruc hic non cogitavit; nam loquitur de *superficiariis pustulis, quae brevi cessant:* videtur haec affectio esse herpes praeputialis, cujus de origine a sanguime menstruali, etiam alii et quidem recentiores quam Astruc loquuntur, quique ex vesiculis minimis constans in excoriationem transeuntibus a prurigine et rubore glandis et praeputii initium facit: ulcuscula, quae oriuntur, sunt superficiaria, absque margine elevato, totusque morbus post octo—

---

(4) Felix Platerus, Quaestiones Physiolog. quaest. 37. p. 66. — Dicitur Fernelius medicus Francicus Sterilitatem reginae Catharinae a Medicis eo sustulisse, quod regi Henrico II. suasisset, ut cum ea menstruationis tempore coiret. (Bayle, Diction. Art. Fernel).

(5) Hier. Mercurialis, Tr. de venenis et morbis venenosis. Lib. I. cap. 17.

(6) Joh. de Vigo (Lib. II. de apostemat. c. 9. Cf. c. 8.) apud Hensler, l. c. p. 161. annot. 10.

(7) Hensler, l. c. p. 207.

(8) Astruc, de morbis venereis. Vol. I. p. 92.

quatuordecim dies evanescit (9). Doctissimus Eagle eandem fere observationem fecit in viro quodam, qui, quum cum foemina menstruata rem habuisset, in praeputio pustula quadam affectus est iis, quae ab applicatione unguenti Autenriethii oriri solent, persimili. Etiam ex tali coitu gonorrhoeam oriri posse, idem bis observavit: in altero casu quidem coitus cum puella innupta locum habuit, adeo ut de contagio gonorrhoeico possimus cogitare; in altero verum vir ex coitu cum uxore menstruata gonorrhoeam contraxit, qua postea semper immunis remansit, licet saepius cum eadem extra catameniorum tempus rem habuerit (10). Hae observationes si recte fuerint institutae, ex coitu cum menstruatis incommoda repetere possumus. An igitur venenati vel acris quid huic sanguini inest? Hanc veterum opinionem nullo argumento esse confirmatam, jam diximus. Sed ipse sanguis menstrualis forte potius est vehiculum materiae alicujus acris, quae, licet in statu perfectae sanitatis in pudendis muliebribus non secernatur, tamen ex muco vaginae produci potest, siquando hic similem degenerationem subeat ei, quam supra substantiam sebaceam ex glandulis Tysonis immundis vel tempestate calida subire interdum, in viris descripsimus. Acris autem hic vaginalis mucus, cum per sanguinem menstrualem, durante copulatione, quando absorptio majore cum intensitate locum habet (11), in contactum veniat cum pellicula tenui glandem obtegente, vel cum tunica mucosa urethrae, irritationem producit, qua in hac blennorrhoeae, in illa exulcerationes oriuntur, imprimis si ipse glans jam acre sebum secernat. Doctissimus Rosenbaum credit, calidam temperatu-

(9) Martins, in Journal des connoissances med. Janv. 1837. Cf. Schmidt's Jahrbücher. 1838. III. p. 294.

(10) Francis Eagle in the Lancet. July 1836. No. 671. Cf. Behrend's Syphilidologie, Bnd. I. Heft. I. p. 118.

(11) Rosenbaum, die Lustseuche. p. 306.

praedisponere, eumque rancidum facere propter perspirationem cutaneam in his regionibus adauctam; durante menstruatione autem, quum hae partes majore activitate gaudeant, copiam muci secreti augeri, adeo ut facile acres, quas ex aestu acceperat, qualitates cum sanguine menstruali communicet: hinc variae, quae antiquitus de damnatis hujus sanguinis qualitatibus fuerunt opiniones, originem duxisse (12). Jam Cl. Albertus von Haller probabile habuit, in calidissimis regionibus, si ad aestuosum aërem *immunditas* accessisset, hunc sanguinem acrem fieri et foetere: *per se* vero talem qualitatem eum habere negat (13). Etiam Astruc (l. c.) graviora esse incommoda ex coitu, durante menstruatione, in calidiore climate, quam in temperata nostra Europa credit; quae incommoda, licet ab aliis forte nimis gravia exponantur (14), certissime saepius oriri, negari non posse videtur. Ex iis igitur, quae de hoc argumento in medium protulimus, patet, legem Mosaïcam de foeminis menstruatis, licet mensium fluxus incommoda opiniones praejudicatae vulgi valde exaggeraverint,

(12) Rosenbaum, l. c. p. 302 sq. Al. Donné (Recherches microscopiques sur la nature des mucus et la matière des divers écoulements des organes genito-urinaires chez l'homme et chez la femme, *Paris*, 1837.) mucum vaginalem semper acidum se reperisse ait. Ibid. — Cf. observ. doct. Retzius annot. (88).

(13) A. v. Haller, Elementa Physiologiae. Tom. VII. Lib. XXVIII. Sect. III. p. 147. Minus recte idem (p. 146.) credere mihi videtur, superstitiosas de sanguinis menstrualis venenosa natura opiniones per Arabum medicos ad Europaeos transisse. Cf. quae de Plinii opinionibus diximus.

(14) Cf. Biörnstähl's Briefe, Tom. VI. p. 410: „So wohl Christen als Musulmannen ist es im Orient streng verboten, einem Weibe vor dem 8ten Tage nach ihrer Reinigung beizuwohnen. Wenn es innerhalb dieser Zeit geschieht, wird sein Leib vergiftet: er bekommt Geschwulst, Beulen, Wunden, Ausschlag und Schmerzen in den Gliedern, und er wird als wenn er aussätzig wäre." Quam maxime ab his Niebuhrii verba differunt (Beschr. von Arab. p. 139.), qui dicit, Arabes coïtum durante menstruatione nocivum quidem non habere, verum indecorum. Europaeus quidam, se nunquam ex tali coïtu incommoda expertum fuisse, ajebat. — Unius hujus viri testimonio observationes tot eruditorum medicorum non refutari, per se patet: Arabes autem incommoda hujus coïtus in suis corporibus experiri non poterant, quum lex Muhamedi vetaret, ne eum exercerent.

in calido Palaestinae climate utilitate physica destitutam non fuisse.

§ 32.

Quaevis mulier, quae marem pepererit, septem dies polluta erat, quae vero foeminam, bis septem dies: quo tempore elapso, tamen in sacrarium intrare, vel sacri quid tangere nondum licebat: haec altera impuritas ex puero per triginta tres, ex puella per sexaginta sex dies durabat (III. Mos. XII: 2, 4, 5). An haec in duas periodos divisio ad lochia rubra et alba spectaret, uti putare videtur Jahn (15)? Forte; nam, uti recte monet auctor, ex impuritate per septem dies durante minime conficiendum est, lochia rubra in his regionibus diutius durare, quam apud nos, ubi plerumque die quarto vel quinto lochia serosa insequuntur, quae sua vice die decimo vel duodecimo in lochia alba transeunt: spatium illud septem dierum conveniebat cum impuritatis ex menstruis duratione, ut etiam (III. Mos. XII. 2) expressis verbis dicitur. Idem valet de altera periodo, quae etiam (imprimis si prolem masculinam ediderat mulier) multo diutius durabat, quam apud nostras lochia serosa et alba perdurare solent. Haec certe duplo longior, si puella esset nata, impuritatis duratio ex physiologica quadam caussa explicari nequit, sed forsan potius ex majore honore, in quo mares apud Asiaticos habebantur (16). Diaetetica hujus legis utilitas imprimis mulierem ipsam spectasse videtur, quae cum prioribus septem quatuordecimve diebus ipsa esset polluta et attactu alios pollutos redderet, hoc primum post puerperium tempus quieta agere poterat, nemine, nisi ejus cura auxilium-

---

(15) Jahn. l. c. p. 274.

(16) Pareau, Antiquitas Hebraica. Ed. 2. 1823. p. 131. Schmidt (Bijbelsche Medicus, p. 515.) caussam hujus rei fuisse, dicit, quod per mulierem primum peccatum homo commiserit. Michaëlis (Mos. Regt. IV. p. 315.) suspicionem movet, revera Israëlitas cogitasse, lochia a puella diutius quam a puero durare, legislatorem autem sese opinioni vulgi accommodasse, ut eo facilius alias de aliis rebus leges acciperent.

que requireretur, ad illam accedente; quod autem hanc alteram periodum attinet, haec, si diaeteticam utilitatem habuerit, etiam mulierem spectabat, ut scilicet aliquandiu a laboribus consuetis abstineret et imprimis neonato curas impenderet; praesertim si (III. Mos. XII. vs. 4, 5.) cum Cl. van der Palm (17) legamus »domi manere". Sed ne nimis anxie hujus de puerperio legis utilitatem inquiramus, monendum est, apud veteres eandem de puerperii impuritate opinionem, quam de cadaveris, fuisse, licet certissime non de incommodis physicis, quae sive puerperae ipsi, sive infanti accidere possent, cogitaverint, quum certum temporis spatium huic impuritati non adeo tribuerent, quam potius vetarent, ne ipse parturiendi actus in regionibus alicui Deo sacris fieret, quippe qui cum loci sanctitate non conveniret (18).

§ 33.

In lege Mosaica accurate omnia animalia enumerantur, quibus vesci fas erat et nefas (III. Mos. XI. cf. V. Mos. XIV. 3. sqq.) his immundis, illis mundis nuncupatis. Nova haec distinctio non erat, uti patet ex I. Mos. VII. 2. Non est profecto, cur credamus animalia immunda Israëlitis contemnenda esse, licet saepius, ab iis abhorrere, jusserit legislator: nam ex immundis ad usus domesticos multa adhibebant, uti v. c. asinos et camelos, quorum illi expressis verbis ad animalia domestica referuntur (II. Mos. XX. 17). Voces »animalia munda et immunda" nihil significasse, nisi »animalia, quibus vesci solemus, vel non solemus", uti putare videtur Michaëlis (19), dubito. Attamen hoc observatum volo, ad animalia munda ea

(17) Cf. Ejus versio hujus loci cum annot.

(18) Thucydides (Lib. III. c. 104.) de insula Delo Apollini sacra hoc dicit. (προεῖπον μήτε ἐναποθνήσκειν ἐν τῇ νήσῳ μήτε ἐντίκτειν). De Epidauri regione Aesculapio sacra idem dicit Pausanias (Lib. II. c. 27.)

(19) Mos. Regt. IV. p. 189.

referri, quae omni tempore generi nostro saluberrima alimenta praebuerunt et sub communi immundorum nomine multa quidem comprehendi, quorum nocivae qualitates nobis non liquent, sed etiam alia, quae, si cibum suppeditant, sanitati hominum in regionibus illis calidis certissime obsunt. Sic, quum legislator dixisset (III. Mos. XI. 3): »De omni quadrupedum genere, quae quidem versantur in terris, quaecumque divisas ungulas habent et bisulca sunt, si ruminant, iis vescemini," ipsa ea animalia indicavit, quae omnium consensu aptissima sunt, quibus tanquam cibis utamur, et quorum alio loco (V. Mos. XIV. 4. 5) optima nominatim enumerat: »His animalibus vobis vesci fas erit: bove, pecore ovino, caprinoque, cervo, caprea, rupicapra, dama, pygargo, oryge, camelopardali." Immundae vero erant quaecumque bestiae pedes habent multifidos: huc omnia pertinent carnivora, quorum caro certe a populis cultis non comeditur. Idem valet de avibus enumeratis vss. 13—19, quibus fere nusquam vescuntur homines, licet harum omnium carnis nocivas proprietates pro certo indicare nequeamus. Sed quum hanc generaliorem quadrupedum distinctionem fecisset Moses, alia quaedam expressis verbis indicat, quorum carne erat abstinendum; nempe camelum, suem, leporem et cuniculum. Notae, quas legislator immundis adscripserat (ungues bisulci et ruminatio), in his minus evidentes sunt, vel plane deficiunt: sic, v. c. camelus revera ad ruminantia et bisulca pertinet, quam ob rem ejus carne certissime tanquam munda alimenti loco usi fuissent Israëlitae, nisi hoc animalium genus excepisset Moses. Videtur legislatoris multum interfuisse, ut ab horum carne abstinerent Israëlitae; nam secus rem non tanti momenti censuisset, ut praeter generaliorem legem etiam specialem quandam de iis institueret. An caussa haec diaetetica fuerit? De camelorum carne tale quid non affirmare ausim: notissimus enim est Arabum mos camelos mactandi, quando ipsis in desertis cibus deficit; neque incommoda, quantum

scio, hic usus habuit. Potius quandam civilem utilitatem habuit lex, ne animalia, quae ad usus domesticos erant destinata, mactarentur. Michaëlis credit, hanc legem Mosem tulisse, ut ab Ismaëlitis, quippe qui saepius camelorum carnem comederent, separarentur Israëlitae. De carne leporina et cuniculorum dicit doct. Carassone (20), hanc eam ob rem populo denegatam fuisse, quia alvum obstipat, ad cujus obstipationem incolae calidiorum regionum ob intestinorum secretiones ex perspiratione cutanea majore imminutas magis sint proclives; quam sententiam ut probet, Hippocratem citat, qui de hac carne dicit, eam siccam esse et alvum morari (21). Sed dubito, ex verbis Coi aliquid certi conficiendum esse, ut hanc de leporina carne legem diaeteticam pronuntiemus. Si enim hac in re nobis divinus senex sit oraculum, non est, quare non et aliam illius sententiam diaeteticam accipiamus, scilicet carnem bubulam non solum validam, sed etiam alvum sistentem et ventriculis digestu difficilem esse (22): et tamen carnem bovinam prae omnibus mundam declarat Moses; adeo ut idem Hippocrates, qui mox nobis auctor exstiterit, ut legislatoris Hebraici scientiam diaeteticam laudemus, eandem in alia re vituperet. Aeque minus nobis etiam Celsus juvat, ut hanc diaeteticam laudemus, licet et ille leporinam carnem ad alimenta alvum adstringentia referat: idem enim ad haec etiam caprinam refert (23), quae Israëlitis erat munda (V. Mos. XIV. 4, 5). Observatio certe docet, leporinam carnem debilibus digestu non facilem esse: sed alvum an magis, quam aliorum animalium caro sistat, dubitandum censeo: nec etiam illa alvi tarditas in calidis regionibus expe-

(20) David Carassone, Essai histor. sur la méd. des Hébr. p. 33.

(21) Hippocrat., de victus ratione. Lib. II. p. 357. (ed. Foës): » λαγῶα ξηρά καὶ στάσιμα."

(22) Ibid. » Βόεια κρέα ἰσχυρά καὶ στάσιμα, καὶ δύσπεπτα τῇσι κοιλίῃσι."

(23) Celsus, Lib. II. c. 30. p. 85. (ed. Targae).

rientia comprobatur; apud nos certe aestate diarrhoeae frequentiores, quam hieme sunt. Equidem non credo, Israëlitas tunc temporis adeo debiles fuisse, ut carnem leporinam digerere non possent; ideoque hujus legis diaeteticam utilitatem non magni facio. Nunc de carnis suillae abstinentia videamus. Aegyptiis etiam sus erat sordidum animal (24), a cujus carne abstinuerunt (25): igitur non solum Hebraei in his calidis regionibus ab hac carne abstinebant. Fere omnes, qui de eorum morbis scripserunt, hujus abstinentiam hanc habuisse utilitatem, ut a lepra immunes servarentur Judaei, perhibent (26). Jam Plutarchus metum leprae caussam dicit, cur carnibus suillis abstinerent Judaei; omnem enim; suem sub ventre fere semper lepra et efflorescentiis esse refertam (27); quare et Mercurialis Plutarchi auctoritate munitus dicit, Judaeos ob sanitatem potius, quam ob superstitionem non vesci carne suilla (28). Neque quis nostrum negabit, carnem suillam digestu esse gravem et in iis, qui ad morbos cutaneos sint praedispositi, eos facile promovere; quae dispositio quum in calidis regionibus sit major, hujus carnis esus ibi ad multos morbos exanthematicos ansam dare debet, quare et Muhamedus sectatoribus vetuit, ne illa vescerentur (29). Ex recentioribus imprimis Larrey lepram esui carnis suillae tribuit; credit enim, Franco-Gallos in expeditione Aegyptiaca eam ob rem tam frequenter lepra affectos fuisse, quia in his regionibus haec caro adeo insalubris erat naturae (30); qua cum observa-

(24) Herod. II. c. 47. (25) Joseph. contr. Apionem. Lib. II. c. 13.

(26) Bartholini, l. c. p. 55. Harle, l. c. p. 8. — Mead, l. c. p. 9. Hic prae caeterispopulis Judaeorum foedis in summa pelle ulcerationibus ab omni aevo patuisse corpora, credere videtur; dicitque eruditos putare, iis hanc ob caussam carnis suillae esum fuisse interdictum, quippe quae crassum et aegre perspirabile nutrimentum sanguini subministrans, ejusmodi corporis constitutionibus minime convenit.

(27) Plutarch. IV. Sympos. Problem. 5. p. 669.

(28) Mercurialis var. Lect. c. 8. (29) Mos. Regt. IV. p. 202.

(30) Larrey, Relation chirurgicale de l'Armée de l'Orient. 8vo. *Paris*, 1804. Cf. Prakt. Darst. d. Hautkrh. von Bateman, p. 36. — Alibert, Descr. d. malad. d. l. peau. T. II. p. 131.

tione optime secundum Alibert (l. c.) convenit, quod in insula dicta Ile de France, ubi lepra saepissime offenditur, incolae multa carne suilla vescuntur. Haec lepra utrum Leuce, an Elephantiasis, an Lepra vulgaris, an alphoidea fuerit, nostrum parum interest (31): hoc sane constare videtur, esu dictae carnis morbos cutaneos effici, qui ad harum regionum endemicos possunt referri. Neque solum in calidis hisce regionibus carnis suillae esus noxios effectus exserit; etiam in temperatis nostris variis et nonnunquam gravibus incommodis ansam dare potest. Notissimum est, recentem carnem suillam, imprimis iis, qui illius esui adsueti non sunt, diarrhoeam posse inducere; sed interdum symptomata producit, quae, quod ad indolem et gravitatem, quam maxime sunt similia iis, quae per vehementissimam inflammationem, per perforationem intestinorum, vel per venena acria efficiuntur. Jam celeberrimus Gregory in lectionibus narrasse dicitur, se arcessitum esse ad virum quendam, qui juxta familiares arthritide anomala ventriculum afficiente laborabat (32); semetipsum vero perspexisse esum carnis suillae in caussa fuisse, eumque mox subministrato emetico sanitati restituisse. In hoc casu, quum morbus pro arthritide anomala haberetur, certe gravissima symptomata adfuerunt, eodemque casu probatur celeberrimus ille medicus jam tunc temporis noxios effectus, qui interdum esum carnis suillae insequuntur, non ignorasse. Recentiori tempore imprimis doct. M'Divitt hac de re meruit (33) et ex observationibus suis sequentem conclusionem fecit. Incommoda ista ex esu carnis suillae sese palamfaciunt tempore quodam intra triginta post esum horas. Si ante horam tertiam in lucem

---

(31) Illa, de qua loquitur Larrey, videtur fuisse lepra vulgaris, vel alphoïdea.

(32) Froriep's Neue Notizen 1837. Bnd. I. Beobachtungen über die bisweilen vorkommenden gefährlichen Wirkungen des Schweinefleisches, von dr. M'Divitt. p. 267: „Weil er, wie die Verwandten sich ausdrückten, an Gicht im Magen sterbe."

(33) Froriep's Neue Notizen, 1837. Bnd. I. p. 265—270. Cf. Edinb. med. and Surg. Journ. Oct. 1836.

prodeunt, praesertim ventriculus afficitur; gravis cardialgia, pectorisque intolerabilis oppressio, virium prostratio, sudor frigidus, frigidaque membra praecipua sunt symptomata; emetici usus perfectam sanationem producit (34). Si post horam tertiam et ante horam septimam symptomata sese palamfaciunt, dolor duodeni et intestinorum tenuium regionem occupat, interdum etiam ventriculum; dolor ille non est dissimilis ei, qui ex calculo biliario per ductum cysticum transeunte produci solet. Si anodyna aliaque, quae stimulant, remedia adhibentur, dolor fit magis pungens, vomitus perdurat, pulsus fit durus, lingua obsessa, cutis sicca, abdomen tensum et sensile. Symptomata cum iis conveniunt, quae intestinorum perforationes, vel peritonitidem, vel enteritidem vel ileum concomitari solent; verum neque sanguinis evacuationes, neque opiata juvant, sed per emesin tantum et catharsin morbus tollitur. Nonnunquam icterus et faciei dolorifica intumescentia absque rubore erysipelatosa prodit; saepius etiam urticaria (35). Denique si post horam septimam symptomata prodeunt, dolor coeci vel coli intestini regionem occupat; vomitus non adest, neque etiam per emesin morbosa conditio tolli

---

(34) Haec Symptomata interdum adeo gravia sunt, ut veneficii suspicionem moveant: hujus naturae est primus a viro doctissimo enarratus casus: „Der Unterleib war nicht aufgetrieben, aber es war ein heftiger, brennender Schmerz in der Nabelgegend und Magengrube mit fast beständigem Erbrechen einer dunkelgefärbten Flüssigkeit zugegen, welche einige Stückchen breiiges, zersetztes Fleisch und andere mehr oder minder durch die Verdauung veränderte Nahrungsmittel enthielt; er klagte über trockenes Brennen im Halse, der Puls war schwach und zitternd, die Extremitäten kalt, und Gesicht und Stirn mit kaltem Schweisze bedeckt. — Ein Brechmittel entleerte mehrere Stücke halb verdautes Fleisch, warauf unmittelbar der Magenschmerz aufhörte; als nun bald darauf Stuhlgang eintrat, so verschwand auch der Schmerz am Nabel, und der Kranke war am nächsten Morgen volkommen hergestellt."

(35) In quarto casu, quem tradit doct. M'Divitt, de urticaria illa fit mentio; perduravit per integram etiam hebdomadem, postquam caetera symptomata jam evanuerunt. „Mehrere ganz ähnliche Fälle — ita vir doctissimus — sind mir namentlich immer gegen Weihnachten vorgekommen, wo die Mittelclassen schlachten, und solche Fälle verhältniszmässig haüfig vorkommen."

potest, verum solummodo per ea, quae alvum movent, remedia. Uti per se patet, incommoda illa, quae mox memoravi, non semper esum carnis suillae insequuntur, sed sub quibusdam tantum conditionibus; hae vero quaenam sint, juxta virum doctissimum nondum probe indicari possunt, praesertim cum ex pluribus, qui ejusdem porci carnem comederant, hominibus saepe unus tantummodo aegrotaret, licet idem antea saepius carnem suillam edisset, quin interdum ejusdem animalis, nullis tamen incommodis insecutis. Hoc unum verum observavit vir doctissimus, noxios illos effectus nunquam exortos esse post esum carnis suillae, quae jam antè plures, quam tres hebdomades sale fuerat condita, adeoque imprimis carnem recentem tales producere, praesertim si multum adipis continet. Caeteroquin ex nimia quantitate carnis assumtae haec incommoda exorta fuisse non videntur, quum haec saepius non adeo magna fuisset in iis casibus, ubi morbosa symptomata in lucem prodierant. Ita doctissimus M' Divitt. Ex dictis abunde patet, carnem suillam variis incommodis ansam praebere; quam ob rem eorum opinionem, qui dicunt, legem illam de suum immunditie, revera sanitati populi profuisse, lubenter meam facio. Quod autem ad pisces attinet, lex Mosaica majorem licentiam concessit, quam aliorum populorum religiosae leges. De Aegyptiis sacerdotibus narrat Herodotus, piscibus vesci illis nefas esse (36): Moses vero ex aquatilibus tantummodo ea, quae pinnas et squamas non habent, immunda declarat (III. Mos. XI. 10.). Piscibus igitur vesci licebat Israëlitis, sed ea aquatilia excipiebantur omnia, ex quibus, licet quaedam nobis cibi loco inserviant, plurima esui minus sunt apta, nonnulla venenatas qualitates habent. Idem valet de reptilibus, iisque, quae humi graduntur, uti de muribus, etc., quae cuncta, licet plurima certe non sint venenata, esui minus conveniunt. — Si itaque has

(36) Herod. II. c. 37.

leges cibarias a Mose populo datas contemplemur, patet, ad immunda quaedam quidem pertinere, quae a nobis non detrectentur, sed tamen plurima esui minus apta esse; ea vero, quae quam maxime munda declarantur, saluberrima alimenta praebere. Mirabitur forte quis, Mosem ad haec etiam nominatim locustas referre (vs. 22.), quae certe apud nos minime comeduntur. Sed aliter res sese habet in his Asiae regionibus: Niebuhr testatur, eas non insalubre nutrimentum praebere (37). Saepe ingentes catervae locustarum in his regionibus agros devastant et segetes consumunt, adeo ut metus adsit, ne fames oriatur. Clarissimus Michaëlis (38) credit, animalia haecce in tali casu, quum ipsa nutrimento inserviant, famem tollere, quam ipsa attulerant; imprimis quum in fornacibus exsiccatae aliquamdiu adservari possint. Itaque, quum legislator vetuisset, ne aliis insectis (vs. 20.) vescerentur, necesse erat, ea indicare, quibus si in tali clade vesci non licuisset, gravissima incommoda populo imminerent. Locustas vero nunquam ad quotidianos Israëlitarum cibos pertinuisse, patet ex eo, quod expressis verbis dicuntur cibus Joannis Baptistae fuisse, cujus vitae ratio a caeterorum hominum quam maxime differebat (Matth. III. 4. Marc. I. 6.).

§ 34.

Animalium vero ex morbo quodam mortuorum, etsi caeteroquin munda fuissent, carne vesci nefas erat, adeo ut quicunque hanc comedisset, ad vesperam usque pollutus esset (III. Mos. XI. 39, 40.). Ita usum, qui apud omnes cultas gentes valet, lege sancivit Moses; eandem legem et Arabes habent (39): eam quam maxime sanitati prodesse, uti monet

---

(37) Niebuhr Beschr. von Arabiën. p. 172.
(38) Mos. Regt. IV. p. 210.
(39) Michaëlis Mos. Regt. IV. p. 215. sqq.

Michaëlis, infitias ibit nemo, qui cogitet, omnibus morbis, etiamsi post mortem nullae organicae mutationes offendantur, partium solidarum et fluidarum reproductionem valdopere vitiari, adeo ut talium animalium caro sanum nutrimentum praebere nequeat. Hanc diaeteticam tamen non unicam hujus legis caussam fuisse, ex eo conficio, quod talem carnem peregrinis comedendam dare Israëlitis licebat (40), quorum corpora certissime minime incommodis ex talis carnis esu oriundis immunia remanerent; caussa haec quaenam fuerit, indicare mihi videtur ipse legislator: »estis enim, inquit, Jehovae Deo vestro sacer populus." Ad leges cibarios duas etiam referendae videntur: 1°. illa de abstinentia ab esu adipis, et 2°. illa de abstinentia a sanguinis esu. Lex de adipis esu legitur III. Mos. VII. 23—25: licet hoc loco dicatur: »Nullo adipe vescemini," non credendum est, hanc legem de omni adipe valere (41), sed tantummodo de eo victimarum adipe, qui in ara adoleretur, scilicet de omento, et de adipe renum, intestinorum et ovium caudae, quae partes Jehovae imprimis sacrae existimabantur (III. Mos. III. 14—17. Cf. VII. 25.). Suspicari tamen licet, uti etiam vir Clar. Pareau observat (l. c.), Israëlitas tum quoque ab hujus adipis esu abstinuisse, si haec animalia in usus domesticos mactarent. Hanc legem in calidis his regionibus, ubi facile morbi cutanei oriuntur, eandem diaeteticam utilitatem, quam a carne suilla abstinentiam, habuisse, veri est simile (42). Gravis tamen poena »de numero suorum tolli," quae itaque impuritatem ex esu carnis suillae longe superabat, nos cogit, ut credamus, diaeteticam utilitatem hujus legis magis esse accessoriam: legem vero potius sanctitatem sacrificiorum spectare. Quid autem de altera lege, scilicet de abstinentia ab

(40) V. Mos. XIV. 20.

(41) J. H. Pareau, Antiquitas Hebraica. Edit. altera. 1823. p. 251.

(42) Michaëlis, Mos. Regt. IV. p. 226. — Pareau, l. c.

esu sanguinis, dicemus? Saepius haec lex in libris Mosäicis repetitur, quam ulla lex cibaria (III. Mos. III. 17. VII. 26, 27. XVII. 12—14. XIX. 26. V. Mos. XII. 16, 23, 24. XV. 23.) et quicunque eam non observasset, capite erat plectendus. Patet igitur, quanti legislatoris interesset, ut haec lex observaretur. Summum illud momentum ex caussa diaetetica explicari nequit; veteres quidem nimio sanguinis, imprimis tepidi, potu mortem, obortis convulsionibus, effici credebant (43); sed hoc ad majorem aut nimiam solum quantitatem spectabat, neque est credendum, sanguinem, si modica quantitate fuerit haustus, magna incommoda afferre, quare et Michaëlis (44) hanc legem Israëlitis esse datam, credit, ne idola colerent, neve per haec jurarent: ab Asiae enim incolis sacra facientibus sanguinem hauriri.

§ 35.

Ex cadaverum attactu impuritatem oriri plures ex veteribus credebant. Babyloniis, narrat Strabo, in more esse lavacrum, si mortuum attigissent (45); et apud Graecos nemini, qui manibus mortuum attigerat, ad aras aditus patebat (46);

---

(43) Valer. Maxim. Lib. V. c. 6. „Themistocles — — instituto sacrificio exceptum patera tauri sanguinem hausit, et ante ipsam aram quasi quaedam pietatis victima concidit."

(44) Mos. Regt. IV. p. 229. Idem auctor (p. 217—219.) legem illam ter repetitam (II. Mos. XXIII. 19. XXXIV. 26. V. Mos. XIV. 21.): „Hoedum in lacte matris suae ne coquito," ita intelligit, ut sit lac illud butyrum, et lex imprimis data sit, ut Israëlitae oleo olivarum, quod in Palaestina egregium producitur, uterentur, seseque itaque in Chananaea tenerent. Ad diaetam certe pertinere lex illa non videtur.

(45) Strabo Lib. XVI. p. 1081. B.

(46) Euripid. Iphigen. in Taur. vs. 381. sqq.

Τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα
Ἥτις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψηται φόνου
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν
Βωμῶν ἀπείργει, μυσαρὸν ὡς ἡγουμένη.

quin tanta apud hos erat cadaverum impuritas, ut, si quis locus Deo alicui prae caeteris erat sacer, ibi mortuos sepelire, aut cremare esset nefas (47). Hanc impuritatem quum acciperent, de diaetetica ratione videntur non cogitasse, quod de Graecis certe aperte constat. Legislatorem Hebraïcum itaque, quum (IV. Mos. XIX. 11:) diceret: »qui mortuum ullius animantis hominis tetigerit, inde septem dies pollutus erit," non novi aliquid instituisse, sed potius ritum perantiquum servasse, probabile est, tempore impuritatis tantummodo prolongato. An vero hic de diaetetica quadam hujus legis utilitate cogitaverit, dictu est difficile; hoc tamen certum videtur, legem symbolicam quandam significationem habuisse, quam ob rem etiam tam accurate describit legislator sacrificium piaculare, qua ratione Jehovae deberet offerri, dicitque, eos, qui tertio die non expiati fuissent, post septimum diem impuros remanere, quin etiam eum, qui vaccae cineres collegisset, ad vesperam usque impurum esse. Haec symbolica significatio qualis fuerit, indagare non nostrum est (48), sed videamus, quamnam utilitatem haec lex habuerit ad Hebraeorum sanitatem promovendam. Cadaverum eorum, qui morbo aliquo contagioso fuerant mortui, attactus certissime periculum afferebat, ne cum aliis idem morbus communicaretur; impuritas autem per septem dies durans, quaeque non nisi multis caeremoniis posset ablui, efficiebat, ut omnes, nisi quibus sepulturae cura esset tradita, a mortuorum attactu abstinerent. Et quum quicunque tentorium aliquod, in quo mortuus quis esset, intrasset, per septem dies esset pollutus, cadavera diutius insepulta non remanerent, quam esset opus, ut signa certa mortis prodirent, quae in calidis his regionibus celerius sese palam faciebant, quam in temperatis nostris;

(47) De insula Delo Apollini sacra cf. v. c. Strabo Lib. X. p. 744. C. et Thucydides Lib. III. c. 104, qui in hac insula etiam mori (ἐναποθνήσκειν) esse nefas dicit.

(48) De hacce significatione Cf. Pareau l. c. p. 132. et Cl. van der Palm in annot. in Num. XIX. 2. Etiam Michaëlis Mos. Regt. IV. p. 326.

neque ab Aegyptiis reciperent Israëlitae ritum cadavera c diendi et in aedibus adservandi, quae, si non debita cura fı sent condita, in putredinem facile transirent. Ex iis, q (vs. 16.) dicuntur: »Quisquis sub dio telo occisum, aut m tuum, aut ossa humana, aut sepulchrum tetigerit, pollı esto septem dies," clarissimus Michaëlis conficit, eos, proelio aliquo cecidissent, studiose esse sepeliendos (49). verbis solis quidem quasi contrarii quid conficere possim nisi alio loco (V. Mos. XXI. 23.) legislator vetuisset, ne ca vera illorum, qui propter capitale crimen supplicio affecti crucem acti fuissent, ibi pernoctarent; quo abunde pal Mosem hac lege certissime noluisse indicare, cadavera hosti insepulta esse relinquenda. Ex attactu sepulchrorum, qu impuritas septem dierum oriretur, clar. Michaëlis putat, lege Israëlitas quasi cogi, mortuos extra urbes et vicos sepel

§ 36.

Restat, ut de impuritate ex attactu animalium mortuoı loquamur, quae ad vesperam usque perdurans ex animal: mundis ea tantummodo complectebatur, quae e morbo ali essent mortua (III. Mos. XI. 39, 40); ex immundis vero omı quodnam eorum fuisset mortis genus (III. Mos. XI. 31— 8, 11, 24, 25, 27—28). Haec lex secundum cl. Jahn ‹ effectum salutarem habebat, ut Israëlitae quam max essent studiosi, ut omnia animantium cadavera, quae in publicis offendissent, sepelirent (50). Hoc certe constat, : malia, non solum domestica, sed etiam fera sepelire, si qı do mortua in viis invenirentur, in his regionibus et his t poribus rem insolitam non fuisse: Aegyptios narrat Herodı non solum sacros serpentes et feles et canes, sed etiam urso

(49) Mos. Regt. IV. p. 326.
(50) Jahn. l. c. p. 344.

aipos sepelivisse (51); mos autem hic vel legislatori, vel populo Israëlitico incognitus fuisse nequit. Hoc praesertim valere de lacertis, quorum multas species nominatim (III. Mos. XI. 30.) enumerat Moses, idem autumat, quem saepius laudarimus, Michaëlis (52). Cum enim post inundationes fluminis Nili, quando intra ripas redierint aquae, ingens harum lacertarum copia in terris remaneat, quae, si mortuae putrescant, multis gravibus morbis ansam dare possint, summi momenti est, animalia auferre: forsan — ita vir clarissimus — Aegyptii tunc temporis valde fuerint studiosi, ut tales impuritates removerent; et Moses usum, cui in Aegypto populus jam adsuetus fuisset, quique in Palaestina etiam utilitatem habere posset, in legem verterit. Non solum ipsi homines eorum immundorum animalium contactu polluti fiebant, sed omnia vasa, in quibus incidissent, ad vesperam usque essent impura, neque haec impuritas cessaret, nisi ligneis vasis in aquam immissis, fictilibus vero confractis (III. Mos. XI. 32, 33). Hanc legem munditiei magnae utilitati fuisse, adeo ut populus sedulo curaret, ne animalia venenata vasa vestesque inquilinarent, per se patet; minus vero liquet, undenam caussa sit repetenda, quare vasa lignea simplici lotione munda essent, fictilia vero frangenda: cujus rei explicationem aliis relinquo ipse, qui ejus diaeteticam caussam perspicere nequeam.

(51) Herod. II. c. 74, c. 67.
(52) Mos. Regt. IV. p. 333. sq.

PARS SECUNDA.

De necessitudine, quae erat inter Polytheismum et medicinam.

SECTIO PRIMA.

DE NECESSITUDINE, QUAE ERAT INTER DEOS ET MEDICINAM.

CAPUT I.

Morbi a Diis iratis immittuntur.

§ 1.

Jam in initio hujus dissertationis indicavimus, morborum auctores Deos imprimis tum habitos fuisse, quum morbi essent rariores, ipsaque ars medica parum esset exculta. Primus etiam, qui hanc magis elaboravit, rationalisque medicinae conditor existimari potest, Hippocrates, saltem veterum illam opinionem non habuisse videtur: hunc enim nullo prorsus in libro visum esse, morbi caussam ad Deos retulisse, testatur Galenus (1); adeo ut recentiores ad notas, quibus germanus esse liber *de morbo sacro* probari possit, referant,

(1) Galeni Oper. ed. Kühn. XVIII. B. 18. Cf. Galen. op. Tom. III. Comment. 1. in Prorrh. Hippocr. p. 190. (ed. Venet. ap. Juntas, 1625.)

hujus libri auctorem eos imprimis refutare, qui hunc morbum a Diis originem duxisse perhibent (2). Non credit ille auctor, a Deo hominis corpus inquinari, impurissimum a purissimo; quum maxima et sceleratissima peccata Deus expiet et purificet, tutelaque nostra existat (3); reprobatque eos, qui, morbum comitialem incantationibus et expiationibus curandum esse, dicunt. Eadem opinio profertur in fine Libri *de aëre locis et aquis*, ubi Scytharum morbus, quo evirati erant, describitur (4): nam licet non neget hujus libri auctor, qui juxta plurimos est ipse Hippocrates, morbos, uti et omnia, quae nobis accidant, a Deo oriri, tamen caussas naturales hujus Scytharum morbi indicat et ostendit, falsam esse opinionem eorum, qui putent, hunc morbum a Diis immitti iis, qui in re aliqua contra ipsos peccassent. Neque ex locis citatis solum, quaenam hac de re fuerit auctoris ipsius opinio, sive is ipse Hippocrates, sive Philotinus, sive alius fuerit, conficere possumus, sed ex iis etiam aliquid de Graecis, qui tunc temporis vivebant, statuere licet. Quum enim dicat auctor, sibi hos morbos caeteris omnibus nihil divinius habere videri, febresque quotidianas, tertianas et quartanas aeque sacras esse, perspicuum est, ab aequalibus neque has febres, neque caeteros omnes morbos Deo alicui adscriptos esse. Morbum vero comitialem non uni, sed pluribus attribuerunt numinibus. »Si enim balatum ederent aegroti, dextramque in partem convellerentur, Deorum matrem in caussa esse asserebant; si vero acutiorem et vehementiorem vocem ederet

(2) Hippocrates Werke, übers. von Grimm mit Anmerk. von Lilienhain, Glogau 1838. Bnd. II. p. 201.

(3) Hippocr. de morbo sacro, p. 303. (ed. Foës.): »οὐ μέντοι ἔγωγε ἀξιῶ ὑπὸ Θεοῦ ἀνθρώπου σῶμα μιαίνεσθαι, τὸ ὑποκηρότατον ὑπὸ τοῦ ἁγνοτάτου — τὰ γοῦν μέγιστα τῶν ἁμαρτήματων καὶ ἀνοσίωτατα τὸ Θεῖον ἐστι τὸ καθαῖρον καὶ ἔρυμα γενόμενον ἡμῖν.“

(4) Hippocr. ed. Foës. p. 293.

aeger, equo similem esse dicebant et ad Neptunum caussam referebant. Quod si stercoris aliquid emitteret, Hecates Enodiae appellatio adhibebatur. Sin autem tenuius et crebrius dejiceret, velut aves, Apollo Nomius. Si vero spumam ex ore demitteret et pedibus calcitraret, Mars erat auctor. Pavores vero nocturni, timores, deliria et terriculamenta, cum aegri ex cubili exiliunt et fugiunt, Hecates insidias et Heroum invasiones esse, affirmabant." Haec etiamsi perquam ridicula sint, manifestissime probant, divinam huic morbo naturam ob mira ejus symptomata vulgum adscripsisse: alteram hujus rei caussam ponit auctor in imperitia eorum, quibus hujus morbi curatio tradebatur. Et hae etiam sunt caussae, quare ante Hippocratem omnes fere morbi Diis attribuerentur: cum enim rarius invaderent morbi, et majorem mirationem faciebant, et caussae eorum, ut natura et curatio, incognitae manebant. Cum vero freqnentius genus nostrum infestarent, sensim sensimque evanuit miratio, eorumque curatio saepius medicaminum ope perficiebatur: quo facto, non amplius Diis adscripserunt morbos, quos humanae arti cedere videbant, sed eos solum, qui, uti morbus sacer, et miro symptomatum complexu, et caussarum obscuritate, et sanandi difficultate a caeteris omnibus differebant. Nobis igitur, cum sit indagandum, quaenam fuerit juxta veterum opinionem inter Deos et morbos necessitudo, argumenta minus ex veterum medicorum scriptis sunt petenda, quippe quae sunt composita tempore, quo plerique morbi jam caussis naturalibus attribuebantur, quam quidem ex libris eorum, qui ante rationalem medicinam conditam vixerunt, vel de temporibus egerunt, quibus homines raro arte nostra indigebant. Hanc viam nobis esse ingrediendam, ipse Celsus indicare videtur. Hic enim, cum in Praefatione Libri primi *de Medicina* dixerit, Podalirium et Machaonem, juxta Homerum, non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi so-

litos, ait, eodem auctore (Homero) disci posse, morbos tum ad iram Deorum immortalium relatos esse et ab iisdem opem posci solitam (5). Hunc igitur et universe poëtas et historiographos consulamus, ut hanc inter Deos morbosque necessitudinem indicemus.

§ 2.

Imprimis morbi epidemici, quippe qui ante caeteros omnes magnitudine calamitatis essent insignes, a Diis iratis immitti credebantur. Et licet ita universa regio poenas dare existimaretur, tamen non semper omnes ejus incolae contra Deos peccarant, sed unius saepe vitium sufficere videbatur, ut Deorum ira adversus integrum populum suscitaretur. Ita de Deorum patre dicit Hesiodus, saepe universam civitatem ob malum virum puniri, qui peccat et iniqua machinatur. Illis autem coelitus magnum importare solet malum filius Saturni, famem simul et pestem: intereunt vero populi, neque mulieres pariunt; intereunt familiae, Jovis Olympii consilio (6). Quod hic de Jove dicit Hesiodus, de aliis Diis etiam valet. Sic ob fraudem Laomedontis totam Pergamenam regionem peste infestasse Apollinem, narrat Apollodorus: Apollo et Neptunus enim petulantiam Laomedontis tentare volentes, forma humana induta, mercede Pergamum muris munire polliciti erant; quod cum fecissent, Laomedon vero debitam mercedem solvere noluisset, huic regioni pestem immisit Apollo (7).

---

(5) Celsus, Lib. I. Praef. p. 2. ed. Targae.

(6) Hesiodi Opera et Dies. vs. 240. sqq.

Τοῖσιν δ᾽οὐρανόθεν μέγ᾽ ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύσουσι δὲ λαοί.
Οὐδε γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δὲ οἶκοι
Ζηνὸς φραδμοσύνησιν Ὀλυμπίου.

(7) Apollod. Bibl. II. 5. 9.

Idem Apollo iratus, quod Agamemnon Chryseidem patri Chrysei, Apollinis sacerdoti, reddere noluerat, ipsumque Chrysen, quum, ut filiam redimeret, ad Achivorum naves venisset, contumelia affecerat, totum exercitum pestilentia infestavit (8). Fuerunt, qui hanc narrationem Homerianam allegorice esse explicandam voluerint, quique dixerint, Homerum, si Apollini pestem tribuit, de sole cogitasse, et, quam dicit iram Apollinis, hanc nihil aliud esse, nisi aërem sponte ex calore solis corruptum (9); qui si recte ita judicaverint, certissime pestis illa Homeriana nobis non magni est momenti, qua nostrum argumentum probemus. Sed observandum est, quo tempore vixit Homerus, Deum solis et Apollinem plane a se invicem differentes Deos fuisse, uti etiam auctor Theogoniae, qui post Homerum vixit, inter utrumque Deum probe distinxit (10). Et ipse Homerus, se Solem et Apollinem eosdem non habuisse, multis in locis manifestissime ostendit; hunc enim cum Jovis et Latonae filium vocet (11), de illo ubivis tanquam Hyperionis filio (*Ἠέλιος Ὑπεριονίδαο ἄναξ*) loquitur (12). Aliquando etiam utrumque Deum simul introducit: Demodocus enim canit amores Veneris et Martis,

---

(8) Homer. Iliad. *Α* vs. 9, 10. Cf. vs. 64:

„ὁ γὰρ . . . .

Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν· ὀλέκοντο δὲ λαοί."

(9) Heraclidis Allegor. Homer. in Gale, Opusc. mythol. p. 419. Cf. 424. Juxta hunc Heraclidem (quem non tempore Platonis, sed multo serius, tempore scil. Claudii et Neronis vixisse et ab Heraclea in Ponto oriundum esse, credit Sprengel (Beiträge zur Geschichte der Medicin. St. II. p. 79.)) nomen Phoebi (*φοῖβος*) idem est ac *radiis splendens*, quod nomen Apollini tanquam Deo solis tributum esse putat (p. 416). Etiam Phurnutus Apollinem solem vocat, qui interdum cum Luna solet aërem corrumpere, pestemque inducere mortalibus (Phurnut. de Nat. Deor. c. 32. in Gale l. l. p. 223.).

(10) Hesiodi Theogön. vs. 15. Cf. vs. 19. vs. 404. sqq. vs. 918. sqq.

(11) Homer. Hymn. I. vs. 14. sq. (Op. Hom. ed. Ernesti. Tom. V.)

(12) Od. *Μ* vs. 176. *Α* vs. 108. Homer. Hymn. in Solem T. V. ed. Ernesti. p. 106.

eosque detectos et ad Deos relatos: Sol, qui jam antea eos dormientes viderat, nunc Vulcano speculationem agit, eique rem narrat; quo facto Vulcanus omnes Deos convocat, inter quos etiam erat ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων (13). Ex hisce aperte patet, Homerum, quum pestem illam Apollini adscriberet, minime de caussa quadam naturali, uti de radiis solaribus, cogitasse, sed revera iram Dei in caussa fuisse existimasse. Neque hanc quaestionem, an Apollinem Deum Solis habuerit Homerus, nec ne, attigissem, nisi ex recentissimis, qui de historia medicinae egerunt, auctoribus unus expressis verbis Apollinem symbolum lucis solaris declarasset (14). Et licet pestem imprimis irae Apollinis adscripsisse veteres videantur (15), tamen eadem etiam ab aliis Diis saepius poenae loco immittebatur. Minerva v. c. irata, quod Auge Alei filia Telephum ex ipsius cum Hercule concubitu natum in sacro luco Deae templum cingenti deposuerat, totam regionem peste infestavit (16). Neque etiam credo, ubivis de vera peste esse cogitandum, quum hac voce utantur auctores, sed potius de cujuscumque generis morbis epidemicis, qui ob grave periculum quam citissime mortem inducunt: ipsi etiam veteres vocibus νοῦσος et λοιμὸς quasi promiscue utuntur, adeo ut et ipsa Achivorum pestis apud Homerum νοῦσος vocetur (Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν). Apollini autem imprimis morbos, qui citissime necant, attribuisse veteres, nemo mirabitur, qui cogitet, eos mortem subitaneam fere semper

(13) Od. Θ vs. 302. cf. 271. et 323.

(14) Friedländer, Vorlesungen über die Gesch. der Heilk. 1 Heft. p. 66: „Unter jenen Göttern, welche kosmische Kräfte personificirend schon frühe für die Griechen eine heilende Bedeutung gewannen, ist Apollon einer der ersten. Als das Symbol des heiligen Sonnenlichts (Helios) ist er ein Spender des Lebens und Segens, aber seine Strahlen verwandeln sich auch in verderbliche todbringende Geschösse."

(15) P. F. Stuhr, Die Religions-systeme der Hellenen in ihrer geschichtlichen Entwickelung bis auf die Makedonische Zeit. Berlin. 1838, p. 221.

(16) Apollodor. II. 7. 4.

Apollinis telis fieri existimasse (17). Ita enim fuit veterum de mortibus subitaneis opinio, ut eas, si viris acciderent, Apollini, sin vero foeminis, Dianae attribuerent (18): ipsa etiam Juno, apud Homerum, Dianam leonem inter mulieres vocans, dicit, Jovem ei dedisse interficere, quamcunque velit (19).

§ 3.

Veteres ad Deorum iram morbos referentes plerumque videntur sibi Deos potius ita finxisse, ut essent studiosi imprimis, ut injurias sibimet ipsis illatas vindicarent, quam quidem ita, ut essent irati ob ipsius sceleris turpitudinem. Sic apud Homerum hanc praesertim ob rem Achivis iratus videtur Apollo, quia Chryses, cui contumelia fuit affecta, ipsius erat sacerdos; et minus graviter Auges adulterium tulit Minerva, quam quidem partum in sanctissimo suo luco peractum. Saepissime idem observari licet in morbis, quos tanquam poenas immittere credebantur Dii. De Minerva talia saepius narrantur. Cum Teuthis, unus eorum, qui duces ad Trojam pugnarant, et a quo nomen accepisse urbs Arcadiae Teuthis credebatur, ex Aulide exercitum domum reducturus, Minervam, humana forma induta, ipsum retinere volentem, ira incensus, hasta in femore vulnerasset, exercitumque domum reduxisset, morbus letalis (*φθινώδης νόσος*) in hac regione exortus est, quem Deae offensae attribuerunt incolae, quoque

---

(17) Od. P. vs. 494. Il. vs. 64.

(18) Antipater in Brunck, Analect. vol. II. p. 120:

»'*Ου γὰρ ἀπωϊστευσεν ἐμοὺς ὑιὰς 'Απόλλων*
'*Ου βαρυπένθητους "Αρτεμις εἷλε κοράς.*"

Cf. et Eustath. ad Il. *T.* vs. 59: » "*Οτι δὲ οἱ αἰφνίδιοι θάνατοι τῶν γυναικῶν "Αρτέμιδι ἐδόκουν ἀνακεῖσθαι, ὡς οἱ τῶν ἀνδρῶν τῷ 'Απόλλωνι πολλαχοῦ λέγει ὁ ποιητής.*"

De Diana Cf. Il. *Z.* vs. 428. Od. *O.* vs. 477.

(19) Il. *Φ.* vs. 484.

non sunt liberati, nisi in ejus honorem simulacro femore saucio erecto (20). Hac etiam pertinet, quod de Lydorum rege Alyatte narrat Herodotus. Hic enim, quum copiae suae cum Milesiis belligerantes horum segetes succendissent, quumque valido coörto vento flammae simul Minervae cognomine Assesiae templum corripuissent, in gravem diuturnumque morbum incidit, a quo convaluit, quum, pace composita, pro uno templo duo Minervae ad Assessum aedificasset (21). In hoc casu Alyattis quasi contrarium aliquid observare licet iis, quae antea (§. 2.) de Deorum poenis diximus. Non enim hic plures puniuntur ob unius peccatum, sed unus Alyattis dat poenas pro injuriis, quas copiae, se inscio, Deae attulerant (22). Si Minerva hoc involuntarium incendium tam aegre tulisse credebatur, non mirum est, Achaeos terrae sterilitatem et hominum morbum, quibus ipsorum regio afficiebatur, iratae Dianae adscripsisse ob turpissimum facinus, quod sacerdos quaedam contra ipsam commiserat: hanc scilicet juvenis quidam Melanippus, amore flagrans, cum sibi parentes amicam denegarent, in ipso Deae templo compresserat (23). Et hic verbo mentionem facere liceat morbi illius singularis Scytharum, qui ab Herodoto morbus foemineus (*θήλεια νοῦσος*) vocatur, quoque a Venere Urania Scytharum illi afficiebantur, qui Deae templum, quod erat Ascalone, despoliaverant, et quo morbo horum Scytharum posteri etiam

---

(20) Pausan. Lib. VIII. c. 28.

(21) Herod. Lib. I. c. 19, 22.

(22) Magis quodammodo cum nostris de justitia divina opinionibus convenit, quod de Tiresia narrat Apollodorus (III. 6. 7.); qui, quum Minervam lavantem vidisset, coecitate afficiebatur.

(23) Paus. Lib. VII. c. 19. Sprengel (Beiträge zur Geschichte der Medicin St. III. p. 34.) mortem Actaeonis, qui, quum Dianam lavantem vidisset, in cervum mutatus ab ipsis suis canibus est dilaceratus (Eurip. Bacch. vs. 335. Apollod. III. c. 4.), ex rabie canina fuisse, existimat, totamque igitur narrationem allegorice explicat: quod an recte fecerit, necne, dijudicatu difficile mihi videtur.

laborabant a popularibus Enarees vocati (24). Morbo hoc foemineo Scytharum multi tempore adhuc Hippocratis laborabant: hic saltem de his eviratis (ἀνανδριεις) loquitur, eosque εὐνουχίας nuncupat, dicitque, eos munia muliebria obire, ac velut mulieres factitare et loqui (25). Caussam hujus morbi, qui imprimis divites affecisse videtur, in equitatione ponit Hippocrates, quam Scythae prae caeteris exercent: ubi enim plurimum et creberrime equitant — sunt verba Coi — ibi plurimi diuturnis ex defluxione affectionibus (26), coxendicum morbis, pedumque doloribus corripiuntur et ad venerem exercendam pessime se habent: quum autem Scythae ex tali caussa impotentes facti rem cum mulieribus habere non possint, muliebri stola amicti, suam ignaviam accusant et cum mulieribus victitantes earum opera tractant. Diversae fuerunt recentiorum de hoc Scytharum morbo sententiae. Multi de morbo quodam locali partium genitalium cogitarunt, uti de gonorrhoea Hensler (27) et de testium amissione, adeo ut veri Eunuchi fierent, Mercurialis (28); cui assentiri videtur Pitschaft, eumque secutus doct. Lilienhain (29): recentiori enim tempore in Aegypto tabem testiculorum, qua ad volumen fabae usque ex atrophia colliquescunt, omnisque veneris libido deletur, corpus emaciatur, barbaque evanescit, observavit Larrey: quare Pitschaft quaestionem movet, annon Scytharum θήλεια νοῦσος morbus testiculorum fuerit. Alii fuisse haemorrhoidalem morbum, alii veram virorum menstruationem, contendunt (30). Ipse Rosenbaum, qui plurimas hac de re

---

(24) Herod. Lib. I. c. 105.

(25) Hippocr. de aëre, locis et aquis. p. 293. ed. Foes.

(26) Κέδματα nonnullis etiam sunt haemorrhöides; aliis affectiones genitalium; aliis (van swieten, Comm. §. 1063. III. 372.) paralysis musculorum sustentatorum penis, adeo ut nulla fieret postea membri virilis erectio.

(27) Gesch. der Lustseuche Bnd I. p. 211.

(28) Mercurialis variae Lectiones. Lib. III. p. 64.

(29) Hippocrates Werke (ed. laud.) Tom. I. p. 209. annot. 3.

(30) De his cf. Rosenbaum, Die Lustseuche, p. 142.

opiniones collegit, Scytharum morbum fuisse paederastiam putat, qua scilicet ii, quorum corporibus paederastes abutuntur (pathici), natura tam corporea, quam psychica ἐναρεες, ἀνδρογύνοι fiunt, quin etiam habitu mulieres imitari amant (31); quam opinionem jam ante Rosenbaum Bouhier (32), Longinus, aliique protulerant. Masturbationem fuisse Scytharum morbum foemineum alii putarunt (33). Quam maxime ab his differunt Heyne, Bottiger (34), aliique, qui narrationem Herodoti et descriptionem Hippocratis ita intelligunt, ut fuissent Scythae morbo mentali correpti, melancholia scilicet, qua ipsi credidissent, se in mulieres esse mutatos: talis melancholiae exempla (ll. cc.) plura enarrantur. Difficile est, de morbo, de cujus natura tot tantique viri docti dissenserunt, aliquid certi pronuntiare. Variae a me relatae opiniones habent, quibus refutentur, habent, quibus defendantur. Divini honores, quos hoc morbo laborantibus populares tribuerunt, uti narrat Hippocrates, potius pro morbo mentali, qualem acceperunt Heyne et Böttiger, pugnant, quam pro corporis quadam affectione: notissima enim est haec incultarum nationum opinio, maniacos arctiori cum Diis uti consuetudine. Si itaque de morbo mentali cogitemus, Scytharum generandi impotentia ita est accipienda, ut, qui maniaci se mulieres esse credidissent, a coitu abstinuerint et ita quasi evirati sint facti. Hippocrates vero, qui morbum descripsit, quo tempore adhuc Scythae illo laborabant, rem ita narrat, ut prius coitum non amplius perficere valerent, dein vero muliebria vestimenta induerent: adeo ut ex hac descriptione

(31) Rosenbaum l. c. p. 143—152.

(32) Dissertations sur l'histoire d'Hérodote. c. 20.

(33) Cf. Sprengel Apologie des Hippocrat. *Leipzig*, 1792. Th. II. p. 616.

(34) Comment. Soc. Götting. 1778. Class. Philolog. T. 1. p. 28. Cf. Böttiger in Sprengel's Beiträge zur Gesch. d. Med. St. II. p. 24. annot. 35. Friedreich, Literärgeschichte der Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten, 1830, p. 32. sqq.

conficere possimus, morbum quemdam genitalium (testiculorum atrophiam?) epidemicum vel endemicum fuisse, quo generationi essent impares: quo morbo correptos, ut sibi ex aequalium superstitione honores pararent, speciem maniacorum, mulierum habitum imitantes, prae se tulisse (35). Nostro autem scopo indicasse sufficiat, ad symptoma essentialia hujus foeminei morbi pertinuisse, eos eviratos, ἀνανδριεῖς, coitui impares factos esse; adeo ut Dea amoris eos, qui ipsam contumelia affecerant, morbo quodam puniisse crederetur, quo certissime voluptatis sensus exstinguebatur.

§ 4.

Caeteroquin et ex aliis locis patet, veteres partium genitalium affectiones, quae etiam apud ipsos exstitisse videntur, quarumque ex coitu impuro originem non perspiciebant, Diis adscripsisse, simodo caussam sufficientem, qua Deorum ira esset

(35) Vel ipsum morbum concomitatur mentis alienatio. Saltem Clar. Schönlein (Allgemeine und specielle Pathologie. Herausgeg. von einigen seiner Zuhörer, 4te Auflage, I. Th. *St. Gallen.* 1839. p. 98. sqq.) de morbo, quem vocat atrophiam genitalem virilem, dicit: „Weder die männliche Stimme, noch die Barthaare, noch der Thorax bildet sich aus, noch die höhern Geistesthätigkeiten: vielmehr verschwinden diese wieder, wenn sie sich schon gezeigt haben." Hujus morbi priorem speciem vocat atrophiam leprosam, quia in ea magnis ulceribus leprosam indolem referentibus crura sunt tecta. Cutis est tenera et corpus ad muliebrem habitum accedit, etiam quod pelvis et thoracis diametrum attinet: haec morbi species frequens est in Asia septentrionali et apud populos gentis Mongolicae. Morbum haereditarium non habet vir clar.: neque constare dicit, an equitatio, vel usus lactis equini sit accusandus. „Wohl aber zeigt sich ein deutlicher climatischer und wohl auch noch ein Nationaleinfluss auf diese Krankheit. — In Vorderasien ist diese Krankheit durch die Volkssitte bedingt, sich dem Venusdienste zu widmen, wobei die Männer in die Classe der Frauen kommen." — Convenit cum tabe testiculorum, quam in Aegypto observavit Larrey, altera morbi species, quam vocat Clar. Schönlein atrophiam genitalium acquisitam vel etiam gonorrhoicam, quia in hac gonorrhoea probabiliter est caussa occasionalis; quaeque post pubertatem prodit in iis, qui venere fuerant abusi. Credit Schönlein (p. 100.) hanc speciem esse morbum Herodoti: ulcera in ea non adsunt.

suscitata, detegebant. Quum enim Attici Bacchi simulacrum, quod ex Boeotiae urbe Eleutheris ad Atticam portaverat Pegasus, non cum veneratione et honore accepissent, Deus aegre hoc ferens iis immisit morbum genitalium insanabilem (35*). Cum autem ad oraculum interrogandum legatos misissent, responsum acceperunt, unicum esse remedium, si cum omni pompa Deum recepissent, quibus legatorum verbis Athenienses fidem habentes, Deum receperunt et insuper Phallum (membrum virile) fecerunt, Deoque consecrarunt, monumentum facientes istius morbi (36). Mirum profecto videri nequit, partium genitalium affectiones Deo adscriptas fuisse, ad cujus insignia membri virilis effigies pertinebat, quemque in expeditionibus multi Dii minores, uti Silenes, Satyri, Panes, aliique salacitate sua noti comitati sunt. Saepius tamen idem furoris auctor apud veteres exstitit Bacchus, quod nec quisquam mirabitur, cui in mentem veniunt hujus Dei orgia, quae magno cum furore celebrabantur, adeo ut Bacchantes, foeminae ejus cultui deditae, impudentia sua a furentibus non differrent, quare et ipsum Bacchum nomine furentis ornavit Homerus (37). Solo adspectu simulacri Bacchi, quod in arca inclusum ex Troja capta retulerat, insania correptum fuisse Eurypylum Euaemonis filium, adeo ut raro ratione uteretur, narrabant Achaei (38). Dubium vero videtur, an hic de Deo irato sit cogitandum; certe de Dei ira non fit mentio; et quum veteres a meraci potu affectiones insaniae oriri crede-

---

(35*) Schol. ad ARISTOPH. Acharn. vs. 242. p. 245. ed. KÜSTERI: — »μηνίσαντος γὰρ τοῦ θεοῦ, νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν — καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν.«

(36) »Ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους.« An phallus hic tanquam verum donarium votivum Baccho consecratus est, an vero quia phallus ad Bacchi insignia (Cf. STUHR. l. c. p. 374.) pertinebat?

(37) HOMER. Z. vs. 132. »μαινομένοιο Διονύσος.«

(38) PAUS. Lib. VII. c. 19.

rent (39), eamque ob caussam inter coenam, quando meracum omnibus porrigeretur, Baccho Agathodaemonis nomine invocato, aqua merum contemperarent, concludere licet, non semper, ubi Bacchus furoris auctor habebatur, furorem istum Deo irato fuisse adscriptum. Nam quum v. c. Pentheus, Thebarum rex, Bacchi cultum prohibere voluisset, non ipsi immisit furorem Deus iratus, sed matri caeterisque mulieribus, quae Bacchantes regem dilacerasse dicebantur (40). Dei irae potius attribuebatur ebrietati persimilis furor Calydoniorum, ex quo vesaniae morbo plures interierunt, quem his intulisse credebatur Bacchus, quia sacerdos ipsius Coresus Callirhoën virginem, cujus amore flagrabat, nec precibus nec muneribus flectere potuerat (41). Haec durissima poena manifestissime probat, quod jam antea observavimus, Deos imprimis injurias sibi suisve sacerdotibus illatas punire, credidisse Graecos. Hujus naturae, licet magis cum nostris de justitia divina opinionibus conveniat, erat etiam supplicium, quod Bacchus inflixit Buti; qui, quum Coronidem, unam ex foeminis orgia celebrantibus, raptam in complexum venire coëgisset, furore corripiebatur, adeo ut semet ipse in puteum dejiceret (42). Apollodorus autem, Bacchum insaniam iis etiam immisisse, qui cultum suum vel semet ipsum vilipendissent, variis locis narrat, quae narrationes licet de temporibus fabulosis agant, tamen ideo nobis sunt momenti, quia de Graecorum hac de re opinionibus testimonia tradunt. Secun-

---

(39) Diod. Sic. Lib. IV. c. 3. (Tom. 1. p. 249): „τὸν μὲν γὰρ οἶνον ἄκρατον πινόμενον μανιώδεις διαθέσεις ἀποτελεῖν.“ Hinc etiam furorem morbum, quo rex Cleomenes erat affectus, mori ejus ex consuetudine cum Scythis contracto, merum bibendi adscripserunt (Herod. Lib. VI. c. 84. Cf. 75. in fine.).

(40) Apollod. III. 5. 2. Cf. Eurip. Bacch. 1029. sqq. Nonn. Dionys. XLIV. XLVI.

(41) Paus. VII. c. 21.

(42) Diod. Sic. Lib. V. c. 50. (Tom. I. p. 371. Wess.)

dum hunc auctorem Lycurgus Dryantis filius, Edonum rex, quum Deum male recepisset, mania puniebatur (43), quo in furore filium Dryantem, pro vite eum habens, securi cecidit. Tyrrheni autem praedones, qui ipsum in Naxum trajicere in animo habentem in Asiam abducere volebant, insania punivit, adeo ut sese in mare dejicerent et in delphines mutarentur (44). Huc etiam pertinet insania, quam, Baccho auctore, quem divinis honoribus non colebant, Argivas corripuisse, adeo ut per montes errantes ipsae liberos comederent, narrat idem Apollodorus (45). In eruditissimis observationibus, quas ad Apollodorum adjecit Heyne, dicit, Argivas simul cum Proeti filiabus in montibus oberrasse (46). Hae enim Lysippe, Iphinoë et Iphianassa insania sunt correptae, quum sacra Bacchi non recepissent, uti apud Apollodorum dicit Hesiodus, vel, uti apud eundem Acusilaus, quum Junonis simulacrum vilipendissent (47): furentes per totam Argivorum regionem errarunt; mox Arcadiam (48) transeuntes cum summo dedecore per deserta migrarunt. Melampus, vates et medicus, de quo infra agemus, pollicitus est, se virgines esse sanaturum, si sibi Proetus tertiam regni partem daret, quam quum dare noluisset rex, insania puellarum gravior est facta, et insuper cum his insaniebantur caeterae mulieres: hae enim

---

(43) Apollod. III. 5. 1. „Λυκούργῳ δὲ μανίαν ἐποίησε Διόνυσος." Rem aliter alii narrant. Diodorus Siculus (Lib., III. c. 64. Tom. 1. p. 234.) dicit, Bacchum Lycurgum oculis effossis cruci affixisse: Sophocles (Antigon. vs. 946.), Deum regem in carcere saxoso occlusisse. Homerus denique, qui certe omnium est antiquissimus, narrat, Lycurgum Bacchi pueri nutrices, ipsumque puerum male tractasse, Jovem vero regem coecitate puniisse: hunc autem non diu abhinc mortuum esse (Il. Z vs. 139).

(44) Apollod. III.5.3. „οἱ δὲ ἐμμανεῖς γενόμενοι, κατὰ τῆς θαλάττης ἔφυγον καὶ ἐγένοντο δελφῖνες."

(45) Apollod. III. 5. 2.

(46) Heyne, Obs. in Apollod. p. 233.

(47) Apollod. II. 2. 2. p. 128. ed. Heyne.

(48) Addit Apollodorus τὴν Πελοποννήσον, quod interpolatum censet Heyne.

domibus desertis suos ipsae liberos interfecerunt et furibundae per deserta migrarunt. Ita Apollodorus. Etiam Diodorus Siculus, Argivas mulieres, quas sanavit Melampus, fuisse Bacchico furore correptas, dicit (49); adeo ut hic auctor videretur credidisse Argivarum, ob Bacchum non receptum, furorem eodem tempore accidisse, quo Proetidarum, quas sanavit Melampus, nisi quod ad chronologiam valdopere ab Apollodoro differret. Secundum Diodorum nempe Melampodi ob hanc sanationem rex Anaxagoras filiam suam Iphianiram in matrimonium dedit: erat autem Anaxagoras Proeti nepos, vel secundum Pausaniam ejus pronepos (50); adeo ut Diodorus, Argivarum furorem diu post illum Proetidarum accidisse, narret. Sed in hoc casu non patet, quomodo has Argivas ab eodem Melampode sanatas fuisse, a quo Proeti filiae sanatae fuerant, dicere queat Diodorus. Obscurius etiam rem narrat Pausanias, qui sibimet ipse constare non videtur. Hic enim, quum (l. c.) dixisset, tempore Anaxagorae, Argei filii, Megapenthes nepotis (51), insaniisse Argivas, easque a Melampode esse sanatas, alio iterum loco (52), ab eodem Melampode filias Proeti, avi Megapenthes, a furore fuisse liberatas, dicit. Videtur igitur recentioribus his auctoribus, Diodoro et Pausaniae, non adeo fides esse habenda, ut de furore Argivarum judicium feramus. Magis cum Apollodoro convenire mihi videtur Herodotus. Hic enim (53), licet de Proeti filiabus non loquatur, mythum de Argivis a Melampode furore sanatis eodem fere modo narrat, quo Apollodorus. Quum nempe Argivorum mulieres furore essent correptae et Argivi Melampodi dimidium regni, quod mercedem postulasset, tribuere

(49) Diod. Sic. Lib. IV. c. 68. (Tom. 1. p. 313.)

(50) Paus. Lib. II. c. 18.

(51) Qui Megapenthes fuit ipsius Melampodis ex Iphianassa filius. (Cf. Pherec. fragm. ed Stürz. 26. p. 125.)

(25) Paus. Lib. VIII. c. 18. p. 636. sq.

(53) Herod. Lib. IX. c. 34.

noluissent, multo plures in insaniam inciderunt (ἐμαίνοντο πολλῷ πλεῦνες), quo facto perterriti Argivi, Melampodis postulationibus se satisfacturos esse, polliciti sunt: hic autem, fratri suo Bianti nunc tertiam etiam regni partem tribuendam esse, postulavit, quam Argivi, in angustias ducti, ei concedere cogebantur (54). Recte igitur cel. Heyne mihi videtur, insaniam Argivorum mulieribus a Baccho immissam eandem fuisse, quam eam, qua Proetidae secundum Apollodorum fuissent correptae, existimasse. Forte prius furore Proetidae aliarumque Argivarum nonnullae afficiebantur; ingravescente vero malo etiam aliae multae insaniebantur (55); quum autem cultum Bacchi recipere antea recusassent, hujus Dei irae insania adscribebatur. Cum hac nostra opinione convenit etiam ipsa curandi methodus, quam instituit Melampus, ipsaque sacra, quae instituisse dicitur. Juxta plurimos auctores (56) orgia Bacchica et Phalli pompam apud Graecos introduxerat noster: et, quod ad curationem, Melampus validissimos juvenes ducens cum clamore et enthusiastica saltatione illas ex montibus ad Sicyonem persecutus est (Apollod. l. c.): nonne haec optime cum orgiis Bacchicis conveniunt? Itaque quum sacra Bacchi nunc accepissent, a morbo liberatae sunt, quo fuerant affectae, quia Dei cultum accipere noluerant. Ex recentioribus mecum sentire videtur Stuhr (57). Pugnat cum hac nostra opinione, quod apud Apollodorum dicit Acusilaus,

---

(54) Cum his cf. quae narrat Apollodorus Lib. II. 2. 2.

(55) Insaniam saepius epidemice regnasse apud incultos homines nobis est auctor Sprengel (Beitr. z. Gesch. d. Med. St. II. p. 47.) et ex historia est notissimum.

(56) Herod. Lib. II. c. 49. Diod. Sic. Lib. I. c. 97 (Tom. I. p. 109.). Ab his differt Clemens Alexandrinus (Cohort. ad gentes p. 12 (p. 5. Sylb.)) qui dicit, Melampodem Cereris sacra ex Aegypto in Graeciam traduxisse. Hunc vero Cereris cultum cum orgiis Bacchicis confudisse autumat Clar. P. van Limburg Brouwer (Histoire de la civilisation des Grecs. *Groningue*. Part. I. Tom. II. p. 297. annot. 28.).

(57) Stuhr. l. c. p. 374. „Ueber den Bakchischen Phallos sollte der alte Seher Melampos, der auch die Töchter des Proetus von dem durch den Dionysos über sie geschickten Wahnsinn geheilt hatte, die Griechen zuerst belehrt haben."

Proetidas *Junonis* simulacrum vilipendisse, et quod Pherecydes narrat, eas dixisse, domum patris multo esse ditiorem, quam templum Junonis (58). Forsan et Junonem offenderunt et Bacchum contemserunt, uti etiam autumare videtur Stuhr (59). Hoc saltem potius ex veterum narrationibus conficiendum esse mihi videtur, quam explicatio a clarissimo Sprengel hujus mythi tradita. Hic enim (60) credit, Proetidas matrimonium — quod Junoni est sacrum — inire repudiasse; maniam autem exortam esse ex non expleta veneris libidine, quae talem effectum apud puellas incultas facillime exserere possit; ideoque ad gravissimam speciem morbi hysterici pertinuisse. Sed si adeo incultae fuerint, an tunc veri est simile, eas matrimonium inire repudiasse? Matrimonii contemtus certe apud nimis cultas, quam apud incultas puellas saepius occurrere mihi videtur. Praeterea apud ipsos veteres nihil reperimus, quo viri clarissimi conjectura confirmetur. Dicit Pherecydes (l. c.) Proetidas ex *inconsiderantia, quae juventuti est propria*, contra Junonem peccasse (*διὰ τὴν ἀκμαιότητος* (Buttm. *τὴν ἐκ νεότητος*) *ἀνεπιλογιστίαν ἁμαρτουσῶν εἰς Ἥραν*). An ad hanc inconsiderantiam juventutis pertinet matrimonii contemtus? Annon ad hanc potius pertinet vana divitiarum et opulentiae jactitatio, qualem de illis narrat Pherecydes? Scilicet, quum essent in templo Junonis, hoc ludibrio habuerunt, dicentes patris domum multo ditiorem esse. Simulacrum autem Junonis, quod vilipendisse Proetidas dicit Acusilaus, credit cel. Heijne (61),

---

(58) Schol. Homer. Odyss. O. vs. 225. Cf. Pher. fr. ed. Stürz. 26. p. 125.

(59) Stuhr l. c. p. 296: — „Wogegen sich in Verhöhnung der Hera und Verachtung des Dionysos die Töchter des Proetus straübten.

(60) Sprengel's Beitr. z. Gesch. d. Med. S. II. p. 46. Ejus Gesch. d. Arzneyk. T. I. p. 149 (ed. 1821.). Cf. Rohatzsch, Compendiöse Gesch. d. Medicin *Stutg.* 1838. Heft. I. p. 24. Friedreich Literärgeschichte der Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten. 1830. p. 25.

(61) Heyne, Obs. in Apollod. p. 111.

fuisse antiquissimum illud, quod e pyro silvestri sculptum olim Tirynthe a Piraso consecratum in templum Junonis Argivae haud longe a Mycenis deportatum fuerat (62). Jam ideo forte illud vilipenderint Proetides, quia ex pyro silvestri erat confectum. Neque etiam ipse Sprengel sibi constat, ut opinor. Ex fragmento enim quodam, quod ex Hesiodo citat Eustathius (63), conficit vir celeberrimus, morbum Proetidarum fuisse *λευκήν* Graecorum; et nunc morbum mentalem harum puellarum, quem mox furorem uterinum nuncupaverat, ad symptomata hujus vitiliginis speciei refert (64), adeo ut, qui mox erat ipse morbus, nunc sit morbi symptoma. Dubito, an ex hoc fragmento Hesiodiano multum ad explicandum Proetidarum morbum conficere valeamus. Primo loco miror, Apollodorum, qui Hesiodum citat, horum versuum non mentionem fecisse. Secundo loco apud poëtas morborum accurata symptomatologia non quaerenda esse mihi videtur; forte poëta his versibus solummodo poëtice descripsit deplorabilem Proetidarum conditionem, quum furibundae per montes errarent: ita etiam intelligendum illud Virgilianum de Proetidibus: »Implerunt falsis mugitibus auras" (65), quod de voce bovina intellexisse videtur Sprengel, qualem vocem (an recte?) Leucae tribuit. Tertio denique loco si fragmentum illud revera nobis locum dare posset, ut de vitiligine cogitemus, non patet, utrum *ἀλφὸς* an *λευκὴ* fuerit morbus:

(62) Clem. Alex. Coh. ad Gent. p. 14. Euseb. Praep. Evang. III. 8. Cf. Paus. II. 17.

(63) Eustath. ad Odyss. *N.* p. 1746. (ed. Rom. fol. 1549.): »*ἐκ τοῦ παρὰ Ἡσιόδῳ καταλόγου περὶ τῶν Προιτίδων.*

Καὶ γάρ σφιν κεφαλῆσι κατὰ κνύος αἰνὸν ἔχευεν·
Ἀλφὸς γὰρ χρόα πάντα κατέσχεν· ἐν δὲ νυ χαῖται
Ἔρρεον ἐκ κεφαλέων· ψίλωτο δὲ καλὰ κάρηνα."

(64) Sprengel's Beiträge, l. c. p. 50. cf. 49.

(65) Virgil. Eclog. 6. 48.

haec verba enim: "Ἀλφὸς γὰρ χρόα πάντα κατέσχεν (vitiligo enim omnem cutem tenuit) ad illum quidem spectare videntur: sequentia vero: ἐν δέ νυ χαῖται, etc. (capilli vero defluebant ex capitibus, et decalvabantur pulcra capita) ad hanc potius pertinent. Quicunque etiam attenta mente loca clarissimi Sprengel, quae de hoc morbo agunt, perlegerit, videbit, virum celeberrimum modo de exanthemate quodam gravi, uti de Leuce, modo de critico aliquo, uti de alpho, loqui. Cum autem alii omnes veterum auctores, morbum Proetidarum maniam fuisse dicant, nemo vero vitiliginem, in fragmento Hesiodi non argumentum sufficiens video, quo cum Sprengelio existimem, tali morbo laborasse Proetidas.

CAPUT II.

Morbi a Diis sanantur.

§ 5.

Summam apud veteres inter Deos et morborum sanationem exstitisse necessitudinem, auctor nobis est idem, qui, Homeri tempore ad iram Deorum morbos relatos esse, dicit Celsus. Non enim apud Homerum legimus, Podalirium et Machaonem, licet in vulneribus curandis non mediocrem opem commilitonibus attulerint, in pestilentia, vel in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii (66). Hac autem peste ut exercitus liberaretur, Apollinem, qui miserat eam, placarunt Graeci non solum captivam Chryseidem patri reddendo, sed etiam sacrificiis precibusque, quas ipse Chryses Deo obtulit,

(66) Celsus, de Medicina Praef. Lib. I. p. 1, 2 (ed. Targae.).

quibus factis desiit pestis (67). Et haec rationalis medicine quaedam erat species, uti observat vir clar. van Limburg Brouwer (68): si enim morborum caussam iram Deorum habebant, his placandis caussali indicationi satisfaciebant. Apollo itaque quum Graecos peste liberaret, nondum ad Deos medicos pertinebat; nam quicunque Deus morbum aliqnem immisisse credebatur, placari solebat, neque ideo Deus medicus habebatur. Alioquin, quot Dii irati morbos immisissent, tot etiam Dii medicinae tutelares fuissent; quod ita accidisse, historia minime docet. Minerva Teuthide tanquam Dea medica culta fuisse non videtur, quum morbum letalem, quem incolis immiserat, abstulisset ipsi ab incolis simulacro erecto; neque etiam apud Lydos, quum rex Alyattes morbo suo convaluisset, aedificatis duobus in Deae honorem templis. Patrenses, quum oblato sacrificio humano vesaniam depulissent, quam Bacchi irae adscripserunt, posthac in morbis Bacchum medicum invocasse, nullo loco constat. Quum igitur omnes Dii irati morbos immittere et placati eos tollere possent, necessitudo apud veteres erat inter omnes Deos et medicinam: sed praeter hanc generaliorem, quaedam specialis exstitit inter artem nostram et unum alterumque Deorum, quem prae caeteris omnibus artis medendi tutelarem existimabant.

§ 6.

Ad hos autem primo loco censendus est Apollo. Quum in initio medicina, uti postea indicabimus, a sacerdotibus vatibusque exerceretur, quibus omnis sapientia omnisque de rebus naturae scientia erat tradita, mirationem facere nequit, medicinam Apollinis tutela niti esse creditam, quippe qui iis

(67) Il. *A.* vs. 386. Cf. 438, 443 sqq. vs. 456 sq.

(68) Verhandelingen en losse Geschriften van P. van Limburg Brouwer. *Groningen*, 1836. p. 213.

rebus esset praefectus, quibus praecipue sapientes hujus aevi erant insignes, poësi scilicet et vaticinationi: et quum per incantationes sanationes fieri putarentur et a fatidicis auxilia peterentur, mox etiam ab aegrotis Deus idem invocabatur, quem invocabant ipsi poëtae et vates, quique, quemadmodum illi principum, ita Deorum animos cantibus exhilarabat (69), et quocum consilia sua in salutem hominum communicabat ipse Jupiter pater (70). Difficile tamen est dictu, quo tempore primum tanquam Deus medicus adoratus fuerit Apollo. Licet apud Homerum Chrysei precibus commotus pestem tollat et Glauci, hoc a se deprecantis, vulnus sanet (71), tamen neque ex Iliade, neque ex Odyssea, neque ex hymnis patet, Apollinem Deum medicum habuisse Homerum. Nam etiam Minerva Diomedi, cui in certamine adstitit, praestat auxilium idem (72); et apud Deos non eorum citharoedus Apollo, sed Paeon medici munere fungitur; is nempe vulnus, quod Minervae auxilio Marti intulerat Diomedes, sanat inspersis dolorem pellentibus medicaminibus (73); medicos autem Homerus non dicit esse Apollinis, sed Paeonis generis (74). Itaque, licet postea nomen Paeanis Apollini tanquam medicorum Deo sit tributum, uti mox indicabimus, apud Homerum Paean et Apollo quammaxime differebant, uti etiam Scholiastes indicarunt (75). Servatoris tamen nomen Apollo jam

---

(69) Il. *Α* vs. 601—604.

(70) Hymn. Homer. II. vs. 533 sqq. Cf. P. van Limburg Brouwer, Histoire de la civilisation des Grecs. Part. I. Tom. II. p. 325 sqq.

(71) Il. *Π.* vs. 513—531.

(72) Il. *Ε.* vs. 85—134.

(73) Il. *Ε.* vs. 899. Cf. 401.

(74) Od. *Δ.* vs. 231 sq.

(75) Eustath. Schol. in Odyss. *Δ.* vs. 232. p. 66. (Ed. Basil. fol. 1558.): „Παιήων, θεῶν ἰατρὸς. ἕτερος ὢν Ἀπόλλωνος, ὡς καὶ Ἡσίοδος δηλοῖ, εἰπών· Εἰ μὴ Ἀπόλλων Φοῖβος ἐκ θανάτου σώσει, ἢ Παιήων, ὅς πάντων φάρμακα οἶδε.”

antiquitus habuisse videtur. Theseum, legimus, quum ad Cretam, ut Minotaurum oppugnaret, proficisceretur, Apollini οὐλίῳ et Dianae οὐλίᾳ vota pro felici reditu fecisse (76). Vocem οὐλεῖν eandem significationem atque ὑγιαίνειν, sanare, habere, adeo ut οὔλιος significet sanitatis auctorem, conficit Spanhemius ex loco quodam Strabonis (77), ubi dicit hicce auctor, Milesios et Delios Apollinem vocare οὔλιον tanquam ὑγιαστικὸν καὶ παιωνικόν. Dubitarem vero, an Apollinem οὔλιον eadem significatione apellarit Theseus, ac postea Milesii et Delii; nam quum vota Apollini et Dianae faceret Theseus, non aegrotavit, sed sanus quum esset, a Diis tantum petivit, ut ipsum integrum ex periculis, quae in expeditione contra Minotaurum ipsi imminebant, servarent; quare Theseum Apollinem potius servatorem generaliori sensu, quam sanitatis auctorem sensu quodam medico invocasse crederem; iis, qui mare Aegaeicum navigabant, Delos jam ab heroum inde temporibus oraculum fuit (78); hinc mirum videri nequit, Theseum eidem, quem de navigatione consulere solebant aequales, Deo pro felici ex navigatione reditu vota fecisse. Magis ad medicinam pertineret, quod de templo Apollinis, quod ad Coronidem erat, dicit Pausanias: illud scilicet esse antiquissimum, et hunc Apollinem homines morbis liberare (79): quonam tempore vero hoc templum fuerit conditum, non dicit auctor, adeo ut parum nobis prosit locus hic citatus, ut indicemus, quando verisimiliter primum tanquam Deus medicus adoratus sit. Hoc tamen abunde patet, mortem, quam Apollinem immittere dicit Homerus, non semper poenam peccati alicujus habitam fuisse, sed Homerum imprimis etiam

---

(76) Pherec. fragm. Ed. Stürz. p. 193. Cf. Pherec. ap. Macrob. Saturn. I. 17.

(77) Spanheim. Obs. in hymn. Callimachi in Apoll. vs. 40. Cf. Strabo. Lib. XIV. p. 942.

(78) Cf. Sturr, l. c. p. 201. Voss. Mythologische Briefe. Th. 3. p. 80.

(79) Paus. Lib. IV. c. 34: „νοσήματα ὁ θεὸς ἰᾶται."

mortem tranquillam mitibus ejus telis adscripsisse (80) ipsumque Deum habuisse mitem; quare, eum quasi euthanasiae auctorem apud Homerum esse, autumat clar. van Limburg Brouwer (81). Alii ex ipso Apollinis nomine conficiunt, hunc Deum jam ab initio Graecis *Deum arcentem, a malis liberantem* fuisse: ἀπόλλων enim est, quasi dicas ἀπέλλων, *arcens*, adeo ut nomen illud cum iis, quae postea accepit, ἀλεξίκακος, ἀποτρόπαιος etc., plane conveniret (82). Licet improbabile non sit, jam antiquitus Apollinem salutis auctorem exstitisse, certa vestigia tamen, quibus indicemus, eum fuisse Deum medicorum, non nisi circa quinquagesimum Olympiadem (580. ante Chr.) offendimus; in hymnis enim Orphicis, quos Clemens Alexandrinus aliique (83) ab Onomacrito, hoc Olympiade vivente, esse conscriptos, dicunt, vocatur Παιὰν ἰήϊος (84). Ex tragicis, comicis et lyricis verum, qui postea vixerunt, optime patet, tunc temporis omnium consensu artis medicinae tutelarem Deum Apollinem haberi, quem Asclepiades medicinam docuisse dicunt (85): nomen ipsum ἰατρόμαντις, quod huic Deo tribuerunt, probe docet, quam arcte vaticinandi artem cum arte medendi esse conjunctam,

---

(80) Od. *O.* vs. 408—410, ubi de mitibus telis Apollinis et Dianae homines post beatam vitam, cum senuerint, e medio tollentibus est sermo (ἀγανοῖς βελέεσσιν). Cf. Od. *Γ.* vs. 279. sq. Eorum autem corpora, qui mitibus his telis interierunt, difformari non credebantur (Il. *Ω.* vs. 757.).

(81) P. v. Limburg Brouwer, o. c. Part. I. Tom. II. p. 332. Cf. Stuhr. p. 221.

(82) K. O. Müller, Geschichte Hellenischer Stämme und Städte, Bnd. II. Abth. 1. p. 301.

(83) Clem. Alexandr. Strom. Lib. I. p. 397. ed. Potter. (p. 143. Sylb.). Cf. Tatian. Orat. contra Graecos. c. 62. p. 88. (ed. Oxon. 1700.),

(84) Orph. Hymn. in Apoll. p. 295. (ed. Hermann). Cf. Orph. Argonaut. vs. 175. sq. Ibid. vs. 1356. »Παιὰν ἑκήβολος." Ἑκήβολος, longe jaculans autem est epitheton Apollini proprium (Cf. Orph. Hymn. in Apoll. vs. 6): uti etiam ἑκάεργος: quod secundum clar. Müller (o. c. p. 292.) spectat subitaneam et inexspectatam rationem, qua tela Apollinis feriunt.

(85) Euripid. Alcest. vs. 972 sqq. Andromach. vs. 901. Sophocl. Trachin. vs. 209 sq.

crediderint veteres (86); uti etiam Diodorus, Apollinem artis medendi, quae vaticiniis nititur, quaque sanitatem quondam recipiebant aegroti, auctorem esse, ait (87). Omnium tamen maxime Pindarus indicat, qua ratione ars medica Apollini tribueretur: hic enim omnia ea huic Deo adscribit, quibus medici veterum insigniebantur, scilicet et medicinam et musicam et vaticinium (88). Multa dein cognomina Apollini tanquam morborum depulsori tribuebantur, ad quae imprimis *ἀλεξίκακος*, mali depulsor, pertinet, quod belli Peloponnesiaci tempore, quum Atheniensium pestem ex oraculi responso sedasset, eum accepisse, dicit Pausanias (89). Eandem ob caussam in vico Bassae *ἐπικούριος* vocabatur et apud Eleos *'Ακεσίος*, quod eandem significationem atque *ἀλεξίκακος* habere, dicit Pausanias (90); et ab Apolline medicos prolationem mortis didicisse, auctor est Callimachus (91). Quae quum ita sint, mirandum non est, jusjurandum illud magnum ita dictum Hippocraticum, quo in ordinem Asclepiadum medici recipiebantur, non solum per Aesculapium, Hygeam et Panaceam, sed etiam per Apollinem fieri (92), neque mirum porro si

---

(86) Aeschyl. Eumenid. vs. 62. Cf. Aristoph. Plut. vs. 10 sq. (*ὅτι ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις*). Sophocl. Oedip. rex. vs. 149 sq., ubi vocatur Apollo: *ὁ πέμψας τάσδε μαντείας — σωτήρ — νόσου παυστήριος.*

(87) Diod. Sic. Lib. V. c. 74. (Tom. I. p. 391.)

(88) Pindar. Pyth. Carm. V. vs. 85—98. »*ὁ βαρειᾶν νόσων ἀκέσματ' ἄνδρεσσι καὶ γυναιξὶ νέμει — πόρεντε κίθαριν δίδωσί Μοῖσαν αἷς ἂν ἐθέλῃ — Μυχόν τ' ἀμφέπει μαντήϊον κ. τ. λ.*"

(89) Paus. Lib. I. c. 3. Thucydides (Lib. II. c. 47.) dicit tamen, in hac peste oracula auxilium non attulisse.

(90) Paus. Lib. VIII. c. 30. c. 41. Lib. VI. c. 24.

(91) Callimach. Hymn. in Apoll. vs. 45 sq. »*ἐκ Φοίβου ἰητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανατού.*"

(92) Hippocr. ed. Foës. p. 1: »*Ὄμνυμι 'Απόλλωνα ἰητρὸν. κ. τ. λ.*" Nimis subtiles certe fuerunt, qui (Cf. Joh. Henr. Meibom. Comment. in Jusjur. Hippocr. p. 28.) Phoebi nomen *παρὰ τὸ φῶς* et *βίος*, a lumine et vita, derivant, ut *φοῖβος* sit quasi *φώβιος* seu *lux vitae*. Idem valet de iis, qui (Eusеb. Praep. Evang. Lib. III. c. 1.) Apollinem ita esse vocatum dicunt, *ὡς*

apud Galenum legimus, hominem in arte medendi tum Aesculapium, tum Apollinem aemulari (93). Qui ita apud Graecos medendi arti praeërat, eidem apud Romanos etiam in pestilentia, quae anno post urbem conditam 322 (a. Chr. 432) eorum fines infestavit, aedificatum est templum Apollini (94), eique artis medicae inventionem adscripserunt poëtae (95); eundem ita invocasse virgines Vestales: »Apollo medice! Apollo Paean!" refert Macrobius (96).

§ 7.

Tanquam Dea salutaris antiquitus etiam Apollinis soror Artemis, sive Diana, adorabatur. De illo quum ageremus, simul cum Apolline *οὐλίῳ* etiam de Diana *οὐλίᾳ* mentionem fecimus, cui pro felici reditu vota vovisse, Theseus fertur; quem etiam, dicit Pausanias (97), Dianae *σωτείρᾳ* templum aedificasse, postquam salvus ex Creta redierat, quod tunc temporis adhuc in foro Troezenis exstabat. Apud Homerum autem mors, quae telis Dianae efficitur, mitis fuisse videtur, uti ea, quam

---

ἀπαλλάττοντα καὶ ἀπολύοντα τῶν περὶ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν, quasi corporis aegritudinum solutorem et propulsatorem.

(93) Galen. Orat. suasor. ad artem. c. 1. p. 3. (ed. Gesner.)

(94) Liv. Lib. IV. c. 25. Apollinis medici aedis ad Tiberim idem mentionem facit. (Lib. XL. c. 51.)

(95) Ovid. Metam. Lib. I. vs. 521.

»Inventum medicina meum est, opiferque per orbem
Dicor et herbarum subjecta potentia nobis."

Idem artem medicam Apollineam sive Phoebeam vocat (Trist. Lib. III. El. III. vs. 10. Fast. Lib. III. vs. 827. Cf. Trist. Lib. IV. El. III. vs. 78. Horat. Carm. saecul. vs. 60.)

(96) Macrob. Saturn. Lib. I. c. 17. p. 296. ed. Zeunii. Idem, Lindios Apollinem *λοίμιον* nuncupasse, finita pestilentia, dicit. Ex eodem patet, quanti variae Apollinis nominis etymologiae sint faciendae: nam eum apud Romanos Apollinem esse, quasi mala apellentem, quem Athenienses *ἀλεξίκακον* vocant, refert auctor; adeo ut et Romani ex sua lingua eandem etymologiam hujus nominis excogitarint, quam ex sua Graeci.

(97) Paus. Lib. II. c. 31.

intulit Apollo; quare etiam haec tela ἀγανά, mitia, vocantur, ipsaque haec mors cum tranquillo somno comparatur et opponitur ei ex diuturno morbo (98). Sed, licet haec ita sint, dubitandum tamen censeo, an haec Diana salutaris hanc ob caussam fuerit Dea medica: ita certe ipse eam nuncupare non vellem, cum Aeneam curaret (99); idem enim auxilium etiam Venus praestitit. Et quod ad nomen illud οὐλία attinet; jam in praecedente paragrapho observavimus, illud ad medicinam minime pertinuisse; idem de σωτεῖρα Diana valet, quae Troezene colebatur. Dianam autem σωτεῖραν multis in Graeciae locis templa et simulacra habuisse, ex descriptione Graeciae, quam fecit Pausanias, abunde patet (100): de his vero mihi, aeque ac de Troezeniorum templo, dubitandi videtur locus, an σωτεῖρα ab initio medicam significationem habuerit. Fama enim, quae apud Megarenses de origine hujus nominis erat, ad salutem quidem, sed minime ad medicinam spectat. Dicebant scilicet, Persas, qui, vexato Megarensium agro, Thebas ad Mardonium ducem redire volebant, de recta via deflexisse, quia Dianae numine tenebrae erant exortae; eosque dein omnia, quae habebant, tela adversus montes saxosos misisse, cum per lucem lunae in errorem ducti putarent, hostium agmen in conspectu esse; quo facto, cum ita frustra tela abjecissent, postridie Megarenses armati inermes aggressi sunt, multosque occiderunt (1). Infitias ibit nemo, in hocce casu de significatione medica vocis σωτεῖρα cogitandum non esse; et hoc eo minus faciendum esse puto, cum et alia numina eodem nomine ornentur, licet nunquam ad me-

---

(98) Od. *E*. vs. 124. cf. *O*. vs. 410. Od. *Σ*. vs. 201. et Od. *Λ*. vs. 171 sq. Caeteroquin cf. quae de his dicit P. v. Limburg Brouwer, o. c. p. 346.

(99) Il. *E*. vs. 447 sq.

(100) Paus. Lib. I. c. 40, 44. Lib. III. c. 22. Lib. VIII. c. 30.

(1) Paus. Lib. I. c. 40. Nec etiam medicam significationem habuisse nomen σωτεῖρα (Paus. Lib. III. c. 22.) quis credat.

dica relata fuerint (2): ipse Deorum pater Jupiter saepius σωτὴρ vocabatur (3), cujus nominis significatio ab illa vocis σωτεῖρα differre mihi non videtur. Apud Clitorios autem templum erat, in quo Diana sub nomine Hemeresiae (Ἡμερήσια, quae mansuetum facit) colebatur, quod nomen ei tribuisse Clitorii dicebantur, quo tempore Melampus Proetidas in ejus templo insania liberasset, quum eas Lusos compulisset (4). Nomen illud tamen, ut et ipsa occasio, qua Deae nostrae tributum dicitur, mihi potius ad Deam quandam animos mitigantem, quam corporis aegritudines sanantem spectare videtur. Ab Orphicis vero poëtis aperte tanquam Dea sanitatis invocata est Diana, quippe quae et dicatur πέμπων νόσους καὶ ἄλγη εἰς ὀρέων κεφαλάς, et ἄγουσα καλλιπλόκαμον ὑγίειαν (5): nomenque σωτεῖρα imprimis ei tribuisse videntur, quia mulieribus salutaris credebatur (6) Mulieribus parturientibus autem imprimis opem ferre dicebatur, multaque, quae huc spectant, ei tribuebantur nomina, uti l. c. Εἰλείθυια, ὠδίνων ἐπαρωγός, θήλειων σωτεῖρα, ὠκυλόχεια, λυσίζωνος, quae omnia a parturientium doloribus mitigandis derivantur; quare etiam σωτεῖρα hic forte potius his doloribus liberantem, quam quidem morbos sanantem significat (7). Athenis templum Diana λυσίζωνος habebat, quod nomen ei datum censet Scholiastes, quia primiparis mos erat cingula solvendi (ζώνας λύουσι) et Dianae dicandi (8). Apud Callimachum poëtam ipsa patri suo Jovi dicit Diana, se tum solum de montibus in urbes descendere, quando mulieres parturiendi doloribus

---

(2) De Proserpina cf. Paus. Lib. VIII. c. 31. Lib. III. c. 13.

(3) Paus. Lib. II. c. 20, 31. Lib. III. c. 23. Lib. VIII. c. 9. c. 30.

(4) Paus. Lib. VIII. c. 18.

(5) Hymn. Orph. 35. vs. 14 sq. (p. 299. ed. Hermann.)

(6) Idem. l. p. 186. θήλειων σωτεῖρα.

(7) Cf. Hymn. Orph. 35. vs. 3, 4, 8. (p. 299.) λόχεια, ἐπαρωγὸς ὠδίνων καὶ ὠδίνων ἀμύητος, λυσιζωνος, ὠκυλοχεια.

(8) Schol. Apoll. Rhod. l. 288. Cf. Brunck, Analect. Vol. I. p. 220. No. II.

vexatae ipsam in auxilium vocant (9): eamque obstetricari, apud Lucianum dicit Mercurius (10). Quae autem Diana parturientibus auxilium praestare credebatur, huic etiam curam parvulorum tradiderunt veteres, quare eam *κουροτρόφον* auctor Hymni decimi quinti, qui Orphei nomine inscribitur, vocavit: quod nomen recentiores a Dea acceptum, dixerunt, quum parvulos tractandi rationem et cibos quosdam naturae tenellorum convenientes invenisset (11). Nomine *Παιδοτρόφος*, *nutricis*, Coroneae templum habebat (12). Functio autem haec curam tenellorum habendi ei forte eam ob rem adscribebatur, quia etiam ferarum cura huic Deae jam antiquitus fuerat tradita (13). Ex iis, quae de Diana diximus, patet, eam, licet certissime ad Deos medicinae tutelares pertinuerit, tamen non, uti Apollo, latissimo sensu Deam medicam fuisse, quare cum clarissimo P. van Limburg Brouwer eos nimis subtiles habeo, qui ex etymologia probare conantur, Deam nostram a sanandi facultate nomen suum Artemidis accepisse (14).

§ 8.

Licet Dianae tanquam Deae tutelari parturientium nomen Ilithyiae sit tributum, haec confundenda tamen non est cum ea, quae inde ab initio hoc nomen gestavit: haec enim filia erat Junonis, Diana vero Latonae (15), cui etiam quum

(9) Callim. Hymn. in Dian. vs. 20—25.

(10) Lucian. Deor. dial. (vol. 1. p. 287. ed. Hemsterh.): ἡ Ἄρτεμις μαιεύεται. Caeteroquin cf. Brunck, l. c. vol. 1. p. 194. III. vol. 2. pag. 119. XLI. p. 148. XII.

(11) Diod. Sic. Lib. V. c. 73. (T. 1. p. 389.)

(12) Paus. Lib. IV. c. 34.

(13) K. O. Müller, Gesch. Hell. Stäm. und Städt. Band II. Abth. 1. p. 379.

(14) P. v. Limburg Brouwer, l. c. I. 2. p. 346. in annot. Cf. Strabo, Lib. XIV. p. 942. *Α.* „Ἄρτεμις ἀπὸ τοῦ ἀρτεμεῖς ποιεῖν." Phurn. de Nat. Deor. 32. (Gale Opusc. myth. p. 224.).

(15) Il. *Α.* vs. 270 sq. Hesiodi Theogon. vs. 921 sq. Cf. 918.

Apollinem et Dianam parturiens esset, ipsa Ilithyia opem tulit (16): cum vero Dianae parturientium cura traderetur, eam nomine Ilithyiae, quod parturientium Deae erat proprium, invocabant veteres. Jam apud Homerum Ilithyia tanquam partuum praeses, μογοστόκος, occurrit (17); quin Lycius Olen, qui antiquissimos hymnos inter Graecos fecit et ante Orpheum vixisse credebatur, etiam in hujus Deae honorem hymnum composuit, quem Delii Ilithyiae rem divinam facientes, cantare solebant (18). Deli praecipue colebatur, eoque ab Hyperboreis venisse, ut parturienti Latonae opem ferret, dicebatur (19): ex his igitur patet, Graecos ab Hyperboreis cultum Ilithyiae accepisse, quacum opinione optime conveniunt, quae de eadem Dea dicit Herodotus (20). Apud Diodorum mentio fit de Dea Hemithea, quae in Asia minore colebatur, quaeque aegris in somno apparens evidenter medelam impertiebat et complures desperatis morbis affectos ad sanitatem reducebat, mulieresque a partus doloribus et periculis liberabat; cujus cultus originem Asiaticam habuisse videtur, siquidem Persae Asiae imperantes, cum omnia caeteroquin Graecorum templa exspoliarint, a sola Hemitheae luco manus abstinuerint (21). Quae si revera ad Ilithyiam

(16) Hymn. Homer. I. vs. 89 sqq. cf. Paus. Lib. I. 18. Hanc ab caussam Ilithyia imprimis Deli, ubi nati fuisse Apollo et Diana credebantur, colebatur. Cf. Callim. Hymn. in Delum. vs. 56 sq.

(17) Il. *Π*. vs. 187. *T*. vs. 103.

(18) Paus IX. c. 27. I. c. 18. In hymno illo Olenis Ilithyia mater Cupidinis vocatur: qua ex re conficit K. O. Müller. (l. l. p. 313) Olenem Venerem antiquam, τὴν Ἀφροδίτην ἀρχαίαν, cum Ilithyia confudisse (identificirte), cujus simulacrum Theseus, quum ex Creta rediisset, Deli statuisse dicitur (Callim. Hymn in Del. vs. 307 sqq.). Hujus simulacri etiam Pausanias mentionem facit; erat antiquissimum, adeo ut manus dextra vetustate esset exesa, illudque Theseum Ariadnae ademptum Apollini Delio dedicasse, tradiderunt Delii (Paus. IX. c. 50.). Videtur igitur jam antiquitus hanc Venerem inter et Delium cultum quaedam necessitudo interfuisse.

(19) Paus. Lib. I. c. 18.

(20) Herod. Lib. IV. c. 35.

(21) Diod. Sic. Lib. V. c. 63. (Tom. I. p. 380 sq.)

spectarent, in dubium vocare possent originem septemtrionalem hujus Deae: sed haec Dea Hemithea, secundum virum cl. P. v. Limburg Brouwer, erat Astarte vel Mylitta, cui saepe Dianae nomen tribuerunt Graeci: Diana autem saepius cum Ilithyia confundebatur (22). Etiam Cretenses in sua insula ad Amnisum Deam nostram natam esse perhibuerunt, et jam Homerus mentionem facit speluncae ad Amnisum Lucinae sacrae, de qua et Strabo loquitur (23); sed cum locus hic Homerianus nihil de origine Deae in medium proferat, cumque ab altera parte multa argumenta sint, quibus probetur ab Hyperboreis ad Graecos esse translatum cultum Ilithyiae, cum viro clar. v. L. Brouwer septemtrionalem originem hujus Deae probabilem habemus (24). Apud Homerum autem non solum de Ilithyia in singulari, sed etiam de eadem in plurali est sermo: sic Juno dicitur inhibuisse partum Alcmenae et repressisse Ilithyias (25): Bottiger caussam hujus rei hanc esse dicit, quod Homerus duas diversas Ilithyias accepisset, alteram faustam (*ἐπιλυσαμένην* et *ἠπιόνην*), alteram infaustam (*μογοστόκον*, *πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαν*) (26). Sed dubitarem, ita inter faustam et infaustam Ilithyiam distinguendum esse, omnemque Ilithyiam Deam mitem et parturientibus auxiliantem habeo, quarum curam habet et dolores levat, quaeque igitur a puerperis in discrimine versantibus, ut opem ferret, maxime implorabatur (27). Nam

---

(22) P. van Limburg Brouwer, Histoire de la civil. des Grecs. I. 2. p. 203 in annot.

(23) Paus. Lib. I. c. 18. Homer. Od. *T.* vs. 188. Strabo. X. p. 730. al. 476.

(24) P. v. Limburg Brouwer, o. l. p. 203.

(25) Il. *T.* vs. 119. „*σχέθε δ' Εἰλειθυίας.*" Cf. Il. *Λ.* vs. 270 sq.: „*μογοστόκοι Εἰλειθυῖαι Ἥρης θυγατέρες.*"

(26) Böttiger, Ilithyia oder die Hexe. *Weimar*, 1799. p. 27. Cf. etiam Sprengel, Pragm. Gesch. d. Arzneyk. T. 1. pag. 140. (ed. 1800.) p. 172. (ed. 1821.).

(27) *Πραΰμητις.* Pind. Olymp. VI. vs. 71. *ματροπόλος.* Pind. Pyth. III. vs. 14 sq. *ἔχουσα θεραπείαν τῶν ἐν τῷ τίκτειν κακοπαθουσῶν.* Diod. Sic. Lib. V. c. 73. (T. 1. p. 389.) Cf. Paus. VIII. c. 32. Etiam apud Romanos mitis erat. (Horat. Carm. saecul. vs. 14.)

quod ad illam *μογοστόκον* Ilithyiam attinet, haec Latonae certe infausta fuisse non videtur, cui jam per novem dies noctesque dolores spurios perpessae opem tulit; infausta vero ei erat Juno, quae filiam ad hoc usque tempus retinuerat, donec caeterae Olympi Deae hanc commoverent, promisso monili magno aureis filis contexto, ut miserae auxilium ferret (28). Et quod illud alterum infaustum epitheton attinet, *ὠδῖνας ἔχουσα* ***dolores habens***, hoc nihil infausti significare, ex eo patet, quod omnis partus, etiam felicissimus, dolores suos habet, qui, ut parturiendi actus bene procedat, valde necessarii sunt; eodem sensu Ilithyia etiam dicitur habere acutum telum, *ὀξὺ βέλος* (29). Homerus porro, ubi de Ilithyiis in plurali loquitur, non inter faustam et infaustam distinguit, sed eas, nullo discrimine facto, *μογοστόκους, ὠδῖνας ἔχουσας* et *ὀξὺ βέλος* habentes vocat; dicitque alio loco (30), Junonem, cum parturiens esset Alcmena, retinuisse Ilithyias (in plurali): itaque et faustam et infaustam; quam recentiorum distinctionem si fecisset Homerus, hic de miti Ilithyia tantummodo fuisset locutus. Sunt, qui dicant (31) infaustam Ilithyiam tanquam veneficam (*φαρμακίδα*) fictam fuisse: juxta hos auctores foeminarum simulacra, quae Thebis ad domum Amphitryonis erant, quaeque a Thebanis veneficae (*φαρμακίδες*) vocabantur, ad Ilithyias sunt referenda. Sed ne hunc locum Pausaniae adhibeamus, ut probemus, Homerum inter faustam et infaustam Ilithyiam distinxisse: veneficae enim istae a Junone ***missae*** esse dicebantur, ut impedimento essent parturienti Alcmenae: apud Homerum vero Juno Ilithyias ***retinet***, ne partum promoveant: *φαρμακίδες* itaque istae Homero incognitae erant, neque credo de infausta Ilithyia hunc poëtam

---

(28) Hymn. Homer. 1. vs. 89 sqq.

(29) Il. *Λ*. vs. 269. (30) Il. *T*. vs. 119.

(31) Sprengel, l. c. Böttiger, l. c. p. 39 sq.

(32) Paus. IX. c. 11: "*πεμφθῆναι δὲ ὑπὸ τῆς Ἥρας φασιν ἐμπόδια εἶναι ταῖς ὠδῖσιν Ἀλκμήνης.*"

cogitasse. Quaeque hujus Deae templa memorat Pausanias, omnia ad faustam pertinuisse videntur: apud Clitorios ejus templum juxta Aesculapii, Dei quam maxime salutaris, erat (33). Arcte cum Ilithyia veteres Parcas conjunxerunt, quas simul cum ea parturientibus adstare dixerunt (34); quin etiam ipsam εὔλινον, eandemque ac Πεπρωμένην, sive Deam fatalem, vocavit Olen (35). Nomen vero πεπρωμένη a Pausania solum additum esse, autumat vir cl. Müller. Idem credit, voce εὔλινος Olenem incrementum embryonis humanae indicasse, quum veteres Orphici infantis generationem cum retis fabricatione compararent (36); quae num ita se, an secus habeant, non dijudicare conabor: sed forte nomen εὔλινον, quemadmodum etiam Parcarum praesentia, potius ad fortunam futuram neonati spectat, quam quidem ad recte peractam foetus formationem: certe non patet, veteres credidisse, Ilithyiam ad hanc formationem aliquid attulisse. Magno autem honore nostra Dea colebatur: apud Hermionenses, praeter sacerdotes, nemini licebat ejus simulacrum conspicere; velatam eam et Athenienses et Aegienses adorabant; facem gerit, quam ei esse attributam suspicatur Pausanias, quia mulierum in partu dolores sunt igni similes, vel quia infantem in lucem profert (37).

§ 9.

Si cogitemus, quam benefica apud veteres Dea Minerva

(33) Paus. VIII. c. 21.

(34) Pindar. Olymp. VI. vs. 72. Pind. Nem. VII. vs. 1.

(35) Paus. VIII. c. 21. Proprie non Olenem, sed Lycium dicit auctor. Hunc Lycium vero neminem, nisi Olenem esse, contendit Kühn (obs. in h. l.). Cf. Callim. Hymn. in Del. vs. 304 sq. Herod. Lib. IV. c. 35.

(36) K. O. Müller, o. c. p. 312 sq. Cf. Aristot. de gener. anim. 2. 1. p. 613. (ed. *Paris.* 1654.).

(37) Paus. II. c. 35. I. c. 18. VII. c. 23.

haberetur, adeo ut prae caeteris omnibus homini esset salutifera, ejusque curae omnia essent tradita, quibus ruri et in urbe, in bello et in pace, domi et foris indigebant mortales, quibusque cum civitatum, tum familiarum, cum regum, tum civium, cum sapientum, tum vulgi res et fortunae nitebantur (38), mirationem facere nequit, hanc Deam etiam sanitati salutarem a veteribus esse habitam, eamque apud Oropios tanquam Palladem Paeoniam (39) et apud Athenienses tanquam Palladem Hygieam adoratam esse (40): Elaeorum autem foeminae, quum huic Deae vota fecissent, si gravidae ad primos virorum congressus fierent, dein cognomine Matris ei templum dicarunt (41). Nomen Hygieae apud Athenienses accepisse Minerva videtur tempore Periclis, quum opifex quidam, de Parthenonis tecto delapsus, ita graviter esset vulneratus, ut de ejus salute desperarent medici, Minerva vero in somnio sese Pericli obtulisset, eique medicinam indicasset, cujus ope brevi sanaretur (42). Quae licet ita sint, assentiri tamen nequeo viro clarissimo Sprengel dicenti, Minervae imprimis oculorum morborum sanationes adscriptas fuisse, reique argumentum petenti ex cognominibus Ophthalmitidis et Optiletis et Perspicacis, quibus hic et illic colebatur (43). Nam si ad occasiones attendamus, quibus haec ab oculo nomina accepit Minerva, facile apparet, de oculorum affectionibus non esse cogitandum. Lycurgus, legislator Spartae, Minervae Ophthalmitidi templum dicavit; quum Alcander quidam scilicet, cui ab illo latae leges non placebant, ei oculum excussisset, in vicum vicinum confugerat Lycurgus; ubi Lacedaemoniorum concursu serva-

(38) P. v. Limburg Brouwer, l. c. p. 313—315. Stuhr, l. c. p. 336 sq.

(39) Paus. I. c. 34. (40) Id. I. c. 23. c. 31. Cf. Ael. Arist. Orat. I. p. 25.

(41) Paus. V. c. 3.

(42) Plutarch. vit. Pericl. c. 13. p. 160. De planta Parthenio, qua sanatio haec facta fuisse credebatur, cf. Plutarch. Sylla, p. 460. Plin. Hist. Nat. Lib. XXII. c. 17.

(43) Sprengel, Pragm. Gesch. der Arzneyk. T. I. p. 175. (ed. 1821.).

tus, quominus et alterum oculum perderet, Minervae Ophthalmitidi templum exstruxit (44). Quomodo hic de morbosa quadam oculi affectione possit cogitari, non video. Alio quidem modo rem narrat Plutarchus; sed neque ex hujus narratione de oculorum aegritudine, qua Lycurgum servasset Minerva, cogitare possumus. Juxta hunc enim auctorem, Lacedaemonii Alcandrum Lycurgo tradiderunt, qui eum secum duxit, eumque nec factis nec dictis laesit, sed aliquamdiu apud se retinuit; Alcander autem ex consuetudine et contubernio Lycurgi quum hujus virtutes cognovisset, eum laudibus apud familiares extulit, ipse ex tetro et praefracto juvene vir factus moderatissimus: in memoriam hujus rei Lycurgus templum Minervae Optileti (ὀπτιλέτις) exstruxit (45). De sanato oculo itaque ne sermo quidem est, quam ob rem ὀπτιλέτις medicam significationem habuisse nequit. Roganti, quare ante omnes alios Deos Deasque Minervae templum aedificaverit Lycurgus, responderem, Minervae legislationem veteres attribuisse, adeo ut mirum videri nequeat, legislatorem Lycurgum Minervam imprimis suam Deam tutelarem habuisse, eique gratias egisse pro iis, quae ipsi bona acciderint. Idem valet de nomine Perspicacis (ὀξυδερκοῦς), sub quo Minervae templum dicasse dicebatur Diomedes (46), quum ad Ilium pugnanti ipsi caliginem ab oculis removisset. Nam caligo (ἀχλὺς) illa, quae in ejus oculis erat, non morbi cujusdam oculorum erat sequela, sed ex vulnere oriebatur, quod ei Pandarus in dextra parte thoracis prope ad humerum intulerat (47), quodque forsan ex sanguinis jactura lipothymiam effecerat; quin etiam, quum Pandarus ipse, Diomedem jam esse moribundum, putaverit (48), res mihi non adeo improbabilis videtur, tali lipothymia revera laborasse Diome-

(44) Paus. III. c. 18.

(45) Plutarch. Lycurg. p. 46 sq.

(46) Paus. II. c. 24.

(47) Il. *E*. vs. 99.

(48) Il. *E*. vs. 102. sqq.

dem. Et hic iterum caussa in promtu est, quare Minervae ope caliginem ab oculis ablatam esse crediderit: hanc enim Diomedi, durante toto hoc proelio adstitisse, narrat Homerus, uti cuivis attenta mente inde ab initio hunc Iliadis librum perlegenti apparebit, adeo ut Minerva ejus Dea tutelaris fuisse videatur: cui igitur potius, quam huic suae Deae tutelari templum strueret, quum salvus ex certamine discessisset? Igitur in cognominibus illis Ophthalmitide, Optilete Perspicace, nullam caussam video, quare Minervae imprimis oculorum affectionum curam fuisse traditam, credamus. Clarissimus Müller autem dicit, haec nomina cum eo, sub quo Athenis et Sigeio colebatur, *Γλαυκῶπις* scilicet, potius esse comparanda (49).

§ 10.

Ultimo denique loco paucis mentio est facienda duorum numinum, quae, licet non ad Deos medicos strictiori sensu possint referri, tamen tanquam Dii benefici interdum a Graecis in auxilium vocabantur, ut morbos depellerent: Bacchum scilicet et Mercurium volo. Hujus Pausanias dicit Tanagris, Boeotiorum urbe, duo esse templa, quorum alterum Criophori (*κριοφορου*, arietem gestantis) nuncupabant: hujus cognominis caussam esse dicentes, quod pestilentiam Mercurius averterit circumlato in murorum ambitum ariete, quam ob rem Mercurii simulacrum fecit Calamis quidam arietem humeris

(49) K. O. Müller, l. c. p. 397: „und wenn man auch an beiden Orten [Larissae et Spartae] den Namen [οπτιλέτις et ὀξυδερκης] von historischen Begebenheiten erklärte; so wird er doch richtiger mit dem Cultusnamen zu Athen und Sigeion: *Γλαυκῶπις*, und ähnlichen verglichen." Fere ubicunque in Iliade et Odyssea de Minerva est sermo, ea vocatur nomine *Γλαυκῶπις* (Cf. e. g. Il. *Α*. vs. 206. *Ε*. vs. 29. *Η*. vs. 17. *Σ*. vs. 227. Od. *Α*. vs. 44, 80. *Β*. vs. 382. *Π*. vs. 19. etc.).

gestantis (50). Patet igitur, interdum etiam Mercurium, ut morbos depelleret, in auxilium vocatum fuisse. Recentiores eum etiam sanitatis et medicorum magistrum nuncuparunt (51). Quod ad Bacchum attinet, Pausanias mentionem facit adytus cujusdam ad Phocensium urbem Amphicleam, in quo orgia Bacchica celebrabantur: narrabant autem Amphicleënses, hic et futura sibi, Deo auctore, praedici et contra morbos in promtu esse remedia; et semet ipsos non solum, sed etiam finitimos de morborum medelis in somnis moneri (52).

CAPUT III.

Homines, qui durante vita sua de medicina bene meruerunt, post mortem divinos honores accipiunt.

§. 11.

Notissimus est hic veterum mos, post mortem iis divinos honores tribuendi, qui durante vita sua bene erga aequales meruerant: mirum igitur videri nequit, etiam iis, qui prae caeteris arte nostra salutari, qua aegrotantibus sanitas redditur, insignes fuerant, gratam posteritatem aras et templa exstruxisse. Quin quum ipsos morbos, quippe a Diis iratis immissos, non humana, sed Deorum tantummodo ope sanari posse crederent, ideoque medicina Diis primum suos inventores adsignaret et coelo dicaret (53), non potuit, quin admiratione felicium successuum ducti, eos, qui in casibus de-

(50) Paus. Lib. IX. c. 22.

(51) Phurnut. de Nat. Deor. c. XVI. (Gale, opusc. mythol. p. 164.). Galen. orat. suasor. ad artem. c. II.

(52) Paus. Lib. X. c. 33.

(53) Plin. Lib. XXIX. c. 1.

speratis opem tulissent, fuisse a Diis ipsis prognatos existimarent. In grato igitur posteritatis animo non solam, neque etiam praecipuam caussam ponendam esse crederem, quare post mortem medicos heroes tanquam Deos coluerint veteres, sed potius in admiratione, qua divini quid illis inesse crediderint, qui malis a Diis immissis mederi potuerant; quique durante vita tot tantasque sanationes perfecerant Deorum filii, postquam in coelo habitarunt, imprimis immortalium iram placare existimabantur vel viam indicare posse, qua placanda esset, adeo ut morbi auferrentur. Ad hos igitur confugerunt et hos invocarunt aegrotantes, eadem illa opinione ducti, qua a sacerdotibus, quippe Deorum arctiori consuetudine usis, auxilium petebant, et sacrificia credebant ritusque religiosos esse adhibenda, ut sanatio perficeretur.

§ 12.

Non autem omnes, quibus, quum durante vita insignes medici fuissent, post mortem divini honores tributi sunt, ex Diis prognatos esse existimabantur, neque ipsi tanquam Dii medicinae tutelares invocati fuisse videntur: fuerunt enim, quibus templa solum struebantur vel festa celebrabantur in memoriam beneficiorum, quae aequalibus praestiterant. Ad hos pertinet Melampus, de quo jam in capite primo hujus partis sum locutus, et de cujus medicationibus in sequenti agam. Huic, qui Dei alicujus filius habitus esse non videtur, sed Amythaonis et Aglajae (54), quum mirandas curationes perfecisset, Aegistheni templum aedificavit grata posteritas, et in hujus honorem et in memoriam beneficiorum sacra faciebat et quotannis diem festum celebrabat; idem vero, qui hujus templi mentionem facit, Pausanias expressis verbis addit, ei futura

(54) Diod. Sic. Lib. IV. c. 68 (T. I. p. 303). Herod. Lib. II. c. 49. — Amythaonis et Idomenes filius erat juxta Apollodorum (Lib. I. 9. 11. p. 71. ed. Heyne.).

praedicendi, neque ex somniis, neque ex alia ulla ratione, scientiam tributam fuisse (55). Licet igitur divinos honores acciperet, ipse tanquam Deus minus, quam tanquam heros colebatur. Hujusmodi honores etiam iis, qui recentiori tempore bene de medicina meruerant, tribuebantur, uti de Toxari Scytha, qui non diu post mortem Athenis pro heroe est habitus, narrat Lucianus (56). Hunc in magna illa pestilentia, quam descripsit Thucydides, quum durante vita medici munere functus fuisset, per quietem sibi adstantem videre uxor Areopagitae cujusdam visa est, dicentem, a pestilentia Athenienses liberatos iri, si vicos urbis multo vino conspersissent; quod quum fecissent, pestisque desiisset, tanquam heros Toxaris colebatur, eique quotannis equus albus in ipsius monumento immolatus sacrificabatur.

§ 13.

Divini honores etiam Centaurorum justissimo (57) Chironi tribuebantur: hic vero omnium consensu a Diis originem duxisse dicebatur; erat enim filius Saturni et Philyrae filiae Oceani (58). Quemadmodum caeteri Centauri, semiequina forma depingitur, scilicet ut anterior pars corporis humanam, posterior equinam formam referret (59). Homerus de hac forma semiequina ta-

(55) Paus. Lib. I. c. 44.

(56) Lucian. Scytha (Tom. I. p. 859. sq. ed. Hemsterh.)

(57) Il. Λ. vs. 831. Orph. Argonaut. vs. 379. „δικαιότατος Κενταύρων." Cf. Eratosth. Catast. cap. 40. „δικαιοσύνη δὲ ὑπερενέγκας πάντας ἀνθρώπους" Scholiastes (Schol. Villoison. ad Il. Λ. vs. 831. p. 290.) hanc laudem Chironi ob hospitalitatem esse tributam censuerunt.

(58) Apollod. Lib. I. c. 2. 11. (ed. Heyne). Pind. Pyth. III. 1. Apollon. Rhod. II. 1235. Juxta Xenophontem erat filius Saturni et Nymphae Naïdis (Xenoph. Cyneg. I. 4. p. 973.).

(59) Paus. Lib. V. c. 19. Hinc eum duplicis naturae (διφυής) vocat Scholiastes, quia forma equina induta compresserat Philyran Saturnus (Schol. Apoll. Rhod. II. 1235.)

men nondum loquitur, sed Centauros feros rudesque Thessaline incolas vocat, corporis robore eximii, quorum justissimus erat Chiron (Cf. l. c. ad annot 57): Pindarum autem primum mythum de Centaurorum forma semiequina excogitasse, dicit Galenus, eumque argumentis quibusdam hujus temporis physiologicis refutat (60). Chironem vero expressis verbis semiequina forma praeditum non dicit Pindarus, sed ferum tantummodo et agrestem (quod ad corporis speciem), sed mente praeditum hominibus amica (61). Haud mediocris artis medicae peritia ei ab auctoribus tribuitur, adeo ut ejus inventor a nonnullis nuncupetur (62), et medicus alter Chiron dicatur (63): imprimis hujus, quae per herbas curat, medicinae inventor fuisse perhibetur (64): qua ex re forsan conficere licet, Chironis medicinam jam magis quodammodo remediis naturalibus nisam fuisse. Varii auctores mentionem faciunt plantae alicujus, nomine Panacis Chironii, quam a Chirone nomen accepisse contendunt (65): »Folium ejus, — ita Plinius, — lapatho simile, majus tamen et hirsutius: flos aureus, radix parva: nascitur pinguibus locis: hujus flos efficacissimus.'' Aureos flores et folia »pendula coma'' caulem ambientia etiam memorat Nicander in poëtica sua descriptione plantae illius, cujus radicem Chironis Centauri nomine claram dicit, quamque primus in Pelio alto Chiron ille Philyrae filius invenit: sed in eo a Plinio differt, quod non floribus, sed radici imprimis hujus plantae vim medicatricem tribuit. Hinc dubitandi est

(60) Galen. de usu partium. Lib. III. c. 1. Quia sc. sperma hominis non ad matricem equae pervenire potest.'' Fabula de Centauro ex concubitu Ixionis cum Nube formam Junonis referente progenito, ejusque progenie semiequina ex equabus Magnesiis legatur ap. Pind. Pyth. II. 85 sqq.

(61) Pind. Pyth. III. 8 sq.

(62) Plin. Lib. VII. c. 56. Plutarch. Sympos. Lib. II. qu. 1. p. 647. (ed. Rualdi.)

(63) Plutarch. Sympos. Lib. VIII. qu. 1. p. 717.

(64) Hygin. fab. 274. Suid. in voce Χείρων.

(65) Theophrast. Hist. plant. Lib. XI. c. 12. Plin. Lib. XXV. c. 4. c. 6. Nicand. Theriac. vs. 500.

locus, num haec a Nicandro descripta planta fuerit eadem ac Plinii Panax Chironium, an potius sit comparanda cum altera Panacis specie, scilicet cum Panace Centaureo, in eodem hujus Libri capite a Plinio descripto, cujus folia longa et serrata sunt, radixque vino gratiam adjiciens, et magnam efficaciam habens omnia vulnera ferro illata sanandi: hanc autem herbam a Chirone repertam narrat Plinius. Videntur igitur plures plantae apud veteres a Chirone nomen accepisse, et forte quidem ob virtutes eximias, quae iis in vulneribus sanandis tribuebantur. Nam et tertiam speciem a Plinio descriptam offendimus in ejusdem Libri capite sexto, quae etiam a Chirone nomen habet: volo Centauream Chironion, cui sequentes notas tribuit noster. »Centaurea, inquit, curatus dicitur Chiron cum, Herculis excepti hospitio pertractanti arma, sagitta excidisset in pedem, quare aliqui Chironion vocant. Folia sunt lata, oblonga, serrato ambitu, densa ab radice, caules ternûm cubitorum, geniculati. In his capita ceu papaverum; radix vasta, rubescens, tenera fragilisque, ad bina cubita, madida succo, amara cum quadam dulcedine: nascitur in collibus pingui solo. Laudatissima in Arcadia, Elide, Messenia, Pholoë et Lycaeo et in Alpibus vero, plurimisque aliis locis. Quidam et ex ea Lycium faciunt: — vis in vulneribus tanta, ut cohaerescere etiam carnes tradant, si coquantur simul; in usu radix tantum duabus drachmis bibenda, quibus dicetur, si febris sit, in aqua trita, caeteris in vino." Adest etiam quaedam convenientia inter hanc Plinii descriptionem et illam Nicandri, siquidem etiam hic de longis foliis caulem ambientibus loquatur et de radicis contritae mistione cum vino. Si vero Plinii verba comparamus cum notis, quas Dioscorides plantae illi, quam vocat Centaurium magnum, tribuit, tantam inter utramque convenientiam offendimus, ut non possimus, quin Plinii Centauream Chironion et Dioscoridis Centaurium magnum unam eandemque plantam pronuntiemus (66): hanc autem flores

(66) Dioscorides Lib. III. c. 8. »Centaurium magnum, quod aliqui Narcen

coeruleos habere, refert Dioscorides, cum de auratis floribus loquatur Nicander: adeo ut, cum apud Plinium de florum colore omnino nulla quidem sit mentio, caetera vero optime cum Dioscoridis descriptione conveniant, Nicandri plantam eandem ac Plinii Centauream Chironion habere nequeamus: adeoque jam tres diversas plantas habemus, quae apud veteres a Chirone nomen acceperunt. Quod autem ad sanationem attinet, quam Centaureae Chironii ope instituisse Chironem dicit Plinius, spectat haec traditio ad ea, quae de morte Chironis fabulati sunt veteres. Hic enim, quum a Lapithis montis Pelii in Thessalia, ubi antea habitaverat, ad Maleam fugatus in antro habitaret, quumque Hercules cum Centauris pugnans hos ad illud antrum usque profligaret, sagitta veneno Hydrae Lerneae tincta ab Hercule invito (ἀκουσίως, nam Hercules erat Chironis amicus) vulneratus erat; ipse Hercules, telo exstracto, vulneri medicamenta, quae ipsi dederat Chiron, imposuit: hic vero ulcus insanabile habens in antrum rediit, ibique, quum mori vellet, sed non posset, quia immortalis erat, mortuus est, postquam Jupiter ejus precibus commotus immortalitatem ab eo ademtam Prometheo dedit (67). Ulcera

appellant, folia habet nucis juglandis, oblonga, viridi brassicae colore, serrata in ambitu, caulem vero, ceu rumicis, binum aut etiam ternum cubitorum, multis ab radice adnatis, in quibus capita ceu papaveris, in rotunditate longiuscula, flos coeruleus, ac semen cnico simile veluti laneis floccis quibusdam involutum. Radix est crassa, solida, gravis, ad bina cubita, succi plena, cum quadam adstrictione ac dulcedine acris, rubescens. Amat solum pingue et apricum, ac sylvas et colles. Caeterum copiose nascitur circa Pholoën, Lyciam et Smyrnam. — Est et illa (radix) vulneraria: siquidem recens tusa, aut, si arida fuerit, ante macerata, deindeque tusa, vulnera colligat et conglutinat, quin et tusam si quis simul cum carnibus coquat, carnes ipsae cohaerescent. Caeterum Lyciae incolae succum ipsius exprimunt, quo pro Lycio utuntur." Hoc Dioscoridis Centaurium magnum non aliam esse plantam, quam Centauream centaurium L. et Centaurion Theophrasti, auctor est K. Sprengel (Theophrast's Naturgeschichte der Gewächse, Th. II. *Altona*, 1822. p. 55.).

(67) Apollod. Lib. II. c. 5. p. 169 ed. Heyne. Diod. Sic. Lib. IV. c. 12. (T. I. p. 259.) Eratosthenes (Catast. 40) de Centaurorum certamine non loquitur,

talia insanabilia inde dicebantur ulcera Chironia (ἕλκεα χειρώνια) Observandum tamen est, Plinium, hoc vulnere sanatum esse Chironem, dixisse: qua in re igitur errat. Quod autem ad ulcera Chironia attinet, vulnus, quo Chiron mortuus esse perhibetur, certissime natura sua minime convenit cum iis ulceribus, quae a medicis veterum Chironia vocabantur. Nam ut de scholiaste taceamus, dicente, ulcera chironia ita vocata esse, quia Chiron eorum curationem docuerat (67*), videamus, quid de talibus ulceribus dixerint medici: „Chironium autem ulcus — ita Celsus — appellatur, quod et magnum est et habet oras duras callosas, tumentas. Exit sanies non multa, sed tenuis; odor malus neque in ulcere, neque in ejus humore est: nulla inflammatio; dolor modicus est; nihil serpit: ideoque nullum periculum affert; sed non facile sanescit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcusque renovatur. Fit maxime in pedibus et cruribus (68).'' Itaque mors ex tali ulcere non facile sequi credebatur: videntur medici nomen Chironii ulceribus quibusdam pedum potissimum imposuisse ob locum affectum (vid. in annot. (66), quae Eratosthenes de vulnere Chironis narrat) et ob affectionis diuturnitatem: ex medicorum autem hujus ulceris descriptione de natura vulneris, quo mortuus esse dicebatur Chiron, non multum pronuntiari potest. De medicamento valet idem; nam ex Plinii verbis certe aeque minus conficiendum esse puto, Chironem revera Centauream Chironium adhibuisse, quam eundem ex vulnere reconvaluisse. De curationibus Chironis non multa apud veteres enarrata habemus:

---

sed dicit, Herculem apud Chironem in antro vixisse, eumque studiose audivisse: Chironem vero sagitta ex pharetra Herculis lapsa in pede vulneratum esse, eoque vulnere mortuum a Jove in astra relatum esse.

(67*) Eustath. ad Il. Δ. vs. 202. p. 353. „Χείρων δὲ εὑρετὴς ἰατρικῆς καὶ λύρικης; — ἐξ οὗ χειρόνεια ἕλκη τὰ δυσάλθη, ἃ δήλαδη Χείρων κατέδειξε θεραπεύεσθαι.''

(68) Celsus, Lib. V. c. 28. § 5. p. 264. ed. Targ.

caecitate sanasse dicebatur Phoenicem, filium Amyntoris (69). Optime vero, quanti ejus artis medicae peritia aestimaretur, patet ex numero discipulorum, quos ab illo educatos perhibuerunt veteres (70); quosque ipse, cum caetera ea, quae ad hujus temporis eruditionem pertinuisse videntur, tum etiam medicinam docuisse dicebatur (71), adeo ut Scholiastes ad discipulos ejus etiam Jasonem referens, hunc ab ipso sanando nomen accepisse, dicat (72). Aesculapium autem, cujus artis medicae peritia summa habebatur, multi auctores expressis verbis dicunt, a Chirone praeter venationem etiam medicinam edoctum fuisse (73). In hunc igitur heroum educatorem non solum Hesiodum encomium fecisse, dicit Pausanias (74), sed eundem vitae muneribus perfunctum in Deorum numerum receptum fuisse (75). Imprimis Thessaliae, ubi vitam egisse dicebatur, incolae ei divinos honores tribuebant, eique primitias offerebant (76); quin ei in urbe Pellae Thessaliae hominem mactari consuevisse, dicit Clemens Alexandrinus (77).

§ 14.

Omnium vero maximus honor Aesculapio post mortem est tributus; eique ob ejus de medicina merita non solum hic et illic post mortem sacrificia offerebantur, sed per totam Grae-

---

(69) Apollod. Lib. III. c. 13. 8. p. 349.

(70) Xenoph. Cyneget. p. 972. „Cephalius, Aesculapius, Melanion, Nestor, Amphiaraus, Peleus, Telamon, Meleager, Hippolytus, Palamedes, Ulysses, Mnestheus, Diomedes, Castor, Pollux, Machaon, Podalirius, Antilochus, Aeneas, Achilles."

(71) Philostrati Heroïca. p. 140, ed. Boissonade.

(72) „Ἰάσων παρὰ τὴν ἴασιν." Schol. Apoll. Rhod. 1. 554.

(73) Apollod. Lib. III. c. 10. 3. p. 316. Pind. Pyth. III. 9 sqq. Nem. III. 89 sqq. Philostr. Heroïc. l. c.

(74) Paus. Lib. IX. c. 31.

(75) Paus. Lib. V. c. 19.

(76) Plutarch. Sympos. Lib. II. qu. 1. p. 647. ed. Roaldi.

(77) Clem. Alex. Coh. ad Gentes. p. 27. al. p. 36.

ciam templa ubivis eidem struebantur, et ipse medicinae praecipuus Deus tutelaris est habitus; quare accuratius de eo, ejusque persona et origine est indagandum. Eum vetustissimum auctorem medicinae in initio Libri primi de Medicina vocat Celsus; qui, quoniam rudem et vulgarem hanc scientiam paullo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est. Historia veteris hujus medici multis fabulis obscurior redditur, neque ipsi veteres auctores conveniunt de ejus origine et de tempore, quo tanquam Deus sit habitus. Pausanias (78) dicit, Epidauri eum esse natum, ideoque hanc regionem ei esse sacram. Secundum hanc traditionem scilicet in Peloponnesum Phlegyas venit cum filia Coronide, quae, quum ab Apolline gravida fuerit facta, in Epidauriorum finibus puerum peperit, eumque in monte exposuit, qui, quum antea Myrtion appellatus fuisset, ab hoc inde tempore nomen Tittheion accepit. Huic infanti capra lac praebuit, cane eum custodiente: ibi caprarum pastor Aresthanas puerum, a quo coelestis ignis effulsit, invenit. Praeter hanc etiam aliam traditionem refert auctor, juxta quam Coronis Aesculapio jam gravida, cum Ischye Elati filio concubuisset; quam ob rem ab Apollinis sorore Diana interemta dicebatur; ardente vero rogo e corpore puerum eripuisse fertur Mercurius. Tertia autem traditio, quam longissime a veritate abhorrere dicit Pausanias, est ea, qua ex Arsinoë, Leucippi filia, natus habebatur. Hanc traditionem de Aesculapio ex Arsinoë nato in Messeniorum gratiam effinxisse Hesiodum vel aliquem ex iis, qui Hesiodi carminibus suos interposuerant versus, credit Pausanias: dixerunt scilicet Messenii, Podalirium et Machaonem, filios Aesculapii, tempore belli Trojani parti Messeniae regioni imperasse et inde ad obsidendum Ilium venisse; ipsum autem Aesculapium Arsinoë, Leucippi filia, esse natum, non Coronide (79). Quarta denique traditio, quam apud Pausaniam

(78) Paus. Lib. II. c. 26. (79) Paus. Lib. IV. c. 3. in. c. 31. p. 358 fin.

offendimus, est Arcadica, juxta quam Aesculapium in Thelpusio agro expositum Autolaus Arcadis nothus filius invenisset, eumque sustulisset (80). Ipse autem Pausanias pro certo habet, Epidauri esse natum Aesculapium, quum Apollophani, Arcadi cuidam, qui Delphos venisset ex Deo quaesiturus, genitusne ex Arsinoë esset Aesculapius, et civisne esset Messeniorum, a Pythia esset responsum, Coronidem, filiam Phlegyae, ex concubitu cum Apolline in Epidauro Aesculapium peperisse. Apollodori (81) tempore eadem incertitudo de matris nomine fuisse videtur; cum enim dixerit ille, Aesculapium ex Apolline et Arsinoë esse natum, addit, secundum alios eum esse natum ex Coronide, filia Phlegyae, et Apolline; quae dein, ut voluntati patris obediret, matrimonium iniit cum Ischye Elati filio: Apollinem autem corvum, ipsi hanc Coronidis infidelitatem annuntiantem, ex albo in nigrum mutasse; Coronidem vero ipsam interfecisse quidem, sed illam comburentem ex igne infantem abstulisse. Ita etiam rem narrat Pindarus, eo tantum discrimine, quod apud hunc Diana, ab Apolline missa, Coronidem interficit (82). Hanc varietatem induxisse Ciceronem credit celeberrimus Heyne (83), ut tres Aesculapios fuisse, traderet, quorum primus est Apollinis filius, qui specillum invenisse, primusque vulnus dicitur obligasse; secundus Mercurii frater, qui fulmine percussus dicitur; tertius Arsippi et Arsinoae, qui primus purgationem alvi dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit (84). Alii dicunt, Aesculapium incertis parentibus natum, expositum et a venatoribus inventum, canino lacte nutritum fuisse (85): quae Tarquitii traditio cum Arcadica traditione quam maxime convenit. Alii denique difficultatem de duplici Aesculapii matre ita solvere conantur, ut contendant, Aesculapium fili-

(80) Paus. Lib. VIII. c. 25.
(81) Apollod. III. 10. 3.
(82) Pind. Pyth. III. 14 sqq.
(83) In ejus obs. in Apollod. p. 276.
(84) Cic. de Nat. Deor. Lib. III. c. 22. Cf. Lyd. de mens. IV. 90.
(85) Tarquitius apud Lactantium, Divin. Instit. Lib. 1. cap. 10.

um fuisse Apollinis et Arsinoae; hanc vero, quum adhuc virgo esset, nomen Coronidis habuisse (86). Nos autem, cum de origine Aesculapii aliquid pronuntiare debeamus, cumque ipsi veteres ita de hac re dissentirent, videamus, quid ex Hesiodi et Homeri testimoniis, comparatis cum aliis traditionibus, conficere possimus. Ille in Theogonia de Aesculapio quidem non loquitur, sed in fragmento, quod ab eo exstat, narratur eadem fere traditio de corvo Apollini annuntiante, Ischyn Coronidem, filiam Phlegyae, uxorem duxisse (87): quis non videt hanc prorsus convenire cum initio traditionis, quam de Aesculapio ex Coronide nato refert Apollodorus (vid. supra), adeo ut fere hoc fragmentum Hesiodi initium ejusdem traditionis habeamus et credamus, auctorem Theogoniae Coronidem habuisse matrem Aesculapii? Accedit hymnus Homericus in Aesculapium, ubi eadem Coronis, Phlegyae regis filia, dicitur Aesculapium peperisse Dotio in campo, ab Apolline quum fuisset compressa (88). Huic igitur traditioni Pindarus etiam maximam fidem habuisse videtur, quippe qui etiam non solum, uti mox diximus, Coronidem matrem Aesculapii vocet, sed etiam (89) dicat, eam ad ripas Boebiadis paludis habitasse: observat enim Strabo (90), Dotium campum fuisse propinquum Boebeidi paludi; adeo ut Pindari traditio ab Homerico hymno non differat. Majorem autem probabilitatem huic traditioni addit illud, quod Dotion erat in Thessaliae Pelasgiotide, haud longe a Boebe, urbe Elati, e quo Ischys natus, quem amavit Coronis (91). Juxta hanc tradi-

(86) ARISTIDES ap. Schol. PIND. Pyth. III. 14. (p. 525. ed. HEYNE. *Lips.* 1817.).

(87) HESIODUS ap. Schol. PIND. Pyth. III. 14. (In ejus fragm. p. 443. ed. *Lips.*)
„Τῇ (l. τῷ) μὲν ἄρ' ἦλθε κόραξ φράσσειν δ' ἄρα ἔργ' ἀΐδηλα
Φοίβῳ ἀκερσεκόμῃ, ὅτ' ἄρ' Ἴσχυς ἔγημε Κορωνὶν
Εἰλατίδης Φλεγύαο διογνήτοιο θύγατρα."

(88) Hymn. HOMER. XV. T. V. p. 91. (ERNESTI).

(89) PIND. Pyth. III. 59 sqq.

(90) STRABO. Lib. IX. p. 674.

(91) HEYNE in Obs. in Apollod. p. 236.

tionem igitur, Aesculapius non, uti contendit Pausanias, Epidauri, sed in Thessalia est natus, in qua regione Boebiades paludes erant sitae (92): Strabonis adhuc tempore in Thessalia natus esse dicebatur Aesculapius et quidem Triccae ad fluvium Lethaeum (93). Thessalica origo Aesculapii optime autem probatur ex navium catalogo, quam apud Homerum habemus (94), ubi dicuntur Podalirius et Machaon, filii Aesculapii, iis praeësse, qui ex Tricca venerunt: et ex ipso nomine avi Phlegyae, qui erat Lapitharum Thessaliae populi rex (95). Nos igitur minus, quam Pausanias, fidem habemus verbis Pythiae, Epidaurum Aesculapii locum natalem dicentis; ita forte Pythia responsit, quia templum Epidauri ad celeberrima Aesculapii templa pertinebat, quae auctoritas tali oraculi responso certissime augeretur. Ex iis, quae de Aesculapio huc usque dixi, patet, me eum habere hominem, qui post mortem divinos honores accepit; quos tamen non statim post mortem accepisse videtur. De Aesculapio Deo certe Homerus nondum loquitur, sed de medico egregio (96); et apud Sophoclem Hercules dicit Philocteti, se ei Aesculapium missurum (97): in gravem errorem itaque incidit Pausanias, dicens Aesculapium statim ab initio Deum esse habitum, hujus rei argumentum petens ex Iliade (98). Quum

(92) Schol. Pind. Pyth. III. 59. Cf. Schol. 55. Pherecydes (Schol. Pind. Pyth. III. 59.) eandem traditionem de Coronide aliisque foeminis multis a Diana interfectis, quam miserat Apollo, postquam ipsi corvus rem nuntiaverat, narrat.

(93) Strabo, Lib. XIV. p. 957. Cf. Lib. VIII. p. 552. Etiam Porphyrius apud Euseb. Praep. Evang. Lib. III. c. 14. p. 124. A. (ed. Vigeri. *Paris*. 1627.).

(94) Homer. Il. *B*. vs. 729 sqq.

(95) Apollod. III. 5. Paus. IX. c. 36.

(96) Il. *Λ*. 517 sq. ἀμύμων ἰητήρ. Cf. Il. *Δ*. 193. sq.

(97) Sophocl. Phil. 1415. sq. Cf. vs. 1438: »παυστῆρα σῆς νόσου.''

(98) Paus. II. 26. fin. Cf. Iliad. *Δ*. 193 sq.

»Ταλθύβι', ὅττι τάχιστα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
Φῶτ' Ἀσκληπιοῦ υἱὸν ἀμύμονος ἰητῆρος.''

Ex hoc loco Homeri potius contrarii quid statuendum censeo, uti etiam jam Vink (Amoenit. Philolog. medicae *Traj. ad Rhenum* 1730. p. 30.) dixit, se non videre, cur ex hisce Homeri versibus pateret, jam tum Aesculapium Deum fuisse.

autem Aesculapius durante vita egregie de medicina fuisset meritus, ideoque post mortem in Deorum numerum receptus esse crederetur, non potuit, quin mox, eum ex Deorum uno fuisse prognatum, existimarent veteres; quae quum ita essent, quem ex immortalibus potius ei patrem adsignarent, quam ipsum Apollinem, quem ante omnes artis medicae Deum tutelarem fuisse, indicavimus? Hanc fuisse caussam, quare patrem ejus Apollinem fuisse, fabulati sint veteres, mihi probabilius videtur, quam opinio, qua non alienus est Joh. Henr. Meibomius, scilicet, matrem Aesculapii ex quopiam ex optimatibus compressam esse, procurantibus tamen flagitium sacerdotibus, Apollinemque patrem, ut culpae auctor esset honestior, adserentibus (99). Quid autem nobis est cogitandum de allegorica explicatione ipsius nominis Aesculapii, quam Phoenix quidam, quocum altercationem habuit Pausanias, fecit, quamque non magis esse Phoenicum, quam Graecorum opinionem, contendit idem Pausanias? Dixit autem Phoenix ille, Aesculapium aërem esse, ex quo bona valetudo (Hygea) tam homini, quam cunctis aliis animantibus existeret: Apollinem porro, qui sol ipse est, jure patrem Aesculapii perhiberi, quod anniversarias vicissitudines cursu conficiens suo, aëri salubritatem impertiat (100). Si Graeci, uti dicit Pausanias, revera tunc temporis ità de Aesculapio cogitarint, hoc minime probat, inde ab initio Aesculapium apud eos habitum esse symbolum aëris salutaris: sed cum apud Homerum etiam de Aesculapio tanquam de mortali quodam sit sermo et de Apolline tanquam Deo a Sole quam maxime diverso, apertum est, tunc temporis de ista symbolica explicatione Aesculapii ejusque patris personae nondum cogitasse

---

(99) Joh. Henr. Meibom. Comment. in Jusjur. Hippocr. p. 37. Idem citat Cyrillum, qui in Libro VI°. (p. 200. Spanh.) contra Julianum, sacerdotes Apollinis hoc facinus perpetrasse conjicit.

(100) Paus. Lib. VII. c. 23.

veteres. Etiam apud Pindarum expressis verbis heros (Ἥρως) vocatur (1) et apud omnes a me citatos auctores tanquam historica persona occurrit, cujus vita et facta, quum postea in Deorum numerum esset receptus, mythice enarrantur; adeo ut hanc Graecorum opinionem, quam cum Phoenicum opinionibus convenire, dicit Pausanias, recentiorem habeamus, quam ut ex ea probemus sive symbolicam significationem mythi Aesculapii, sive hujus mythi originem Orientalem. Non ita censuit doctissimus Sickler, qui ex loco citato probari dicit, non solum Phoenices, sed etiam Graecos sub Aesculapio vim quandam naturae intellexisse, ipsumque mythum hujus Dei ex Oriente ad Graecos translatum fuisse, hujusque nomen non solum, uti et patris, sed etiam matris, avi et filiorum filiarumque ex Hebraica lingua (quam cum Phoenicum lingua eandem habet auctor) derivat et ita symbolice totum mythum explicat (2). Uti auctor hoc loco ipsum nomen Aesculapii ex vocibus He-

(1) PIND. Pyth. III. 13.

(2) SICKLER, Die Hieroglyphen in dem Mythus des Aesculapius, *Meiningen*. 1819. p. 5. sqq. Cf. p. 2. Auctor sequentem mythi explicationem tradit (p. 9.): "Die Sonne (Apollo Helios, i. e. Deus lucis) als das Urprincip aller Lebenserhaltung schwängert mit Heilkraft das Gewässer des Hochgebirgs (Coronis i. e. Nympha acuminis montis). Dieses ist ein fliessender strahlender Quell (Phlegyas: ex vocibus Hebraïcis *rivulum* et *ignem* significantibus), der aber verborgen über einen entzündeten Boden (Ischys, i. e. inflammatio) sich ergiesst. Hier wird alles Unreine von ihm während der Verdampfung ausgeschieden (Artemis, i. e. omnis impuri inimica), und so kommt er zu Tage (Hermes, i. e. ille, qui in lucem profert) als ein warm sprudelnder Hauch, der im ewigen Sieden und Kochen sich befindet (Aesculapius, i. e. aër ex thermis adscendens; Epione, i. e. coquere). Seine Wirkungen, wodurch er sich als die von der Sonne abstammende, heilende Luft äussert, sind nun erstens, dass er das Leben fristet und erhält (Podalirius, i. e. vitae servatio), zweitens dass er die Schmerzen lindert (Machaon, i. e. sublatio doloris sive querelae). Diese sind Hauptwirkungen und werden deshalb auch als die Söhne vorgestellt. Uebrigens aber befördert der Quell vor allem das Wachsthum (Hygea, i. e. quae augmentum promovet); sodann hält er die Kräfte des Körpers fest zusammen (Aegle, i. e. quae colligit) darauf begründet er sie (Panacea, i. e. quae corroborat); endlich gewährt er völlige Genesung (Jaso, i. e. quae sanat).

braicis derivatum, nihil aliud significasse, nisi aërem salutarem ex thermis adscendentem, dicit, quare etiam juxta eum pleraque templa hujus Dei prope aquas salutares thermasque sunt sita; ita etiam insignia Dei ex ipso nomine symbolice explicat (3). Epidauri erat simulacrum Aesculapii in solio sedentis, manu altera baculum tenentis, altera capiti serpentis imposita: ad pedes jacet canis; in solio facta Argivorum heroum sunt picta, scilicet Bellerophontis Chimaeram interficientis et Persei Medusae caput abscindentis (4). Haec omnia ex ipso nomine Aesculapii esse derivata contendit Sickler. Nam 1°. Baculus tenuis, virga, significat *Aeschkol*, quem pater (*Ab*) manu tenet: quae voces compositae faciunt *Aesculapium:* 2°. in solio sedet, tanquam sapiens pater (*Sachal*, sapire et *Ab*, pater) *Aschalab:* 3°. manum serpenti imponit (*Aschalaephe: Aschal* sapire et *Aephe* serpens): 4°. baculus cum serpente conjunctus format *Aeschkolaephe:* 5°. *Aeschkeleb* (*Esch* ignis, *Cheleb* canis): 6°. *Aeschalab* (*Aes*, sive *Aeds* capra et *Chalab* lac): 7°. *Aschklaepke* (*Aesschol* deletor, *Aephe*, anguis, quia Perseus Medusam caput anguinum habentem interficit). Ita doctissimus Sickler. Miramur viri doctissimi ingeniosam subtilitatem, sed dubitamus, in solo nomine Aesculapii tot a se invicem differentes notiones conjunctas fuisse veteribus. His addere liceat etymologiam, quam apud Meibomium reperi, quaeque spectat ad fabulam de cane Aesculapium custodiente deque caprarum pastore eum igni splendentem inveniente: juxta hanc nomen formatum est a vocabulis Hebraicis *Ez*, capra, vel *Esch*, cane, et *Keleph*, igni (5). Neque Graeci in etymologiis ex sua lingua formandis defecerunt. Dicit Tzetzes (6), Aesculapium, quum ἤπιος, mitigans, vocaretur, Ἄσκλην tyrannum Epidauri coecitate sanasse: juxta alios Ἀσκληπιὸς dicitur παρὰ τὸ ἀσκελῆ καὶ ἤπια φυλάσ-

(3) Ibid. p. 14 sqq.

(4) Paus. Lib II. c. 27.

(5) Joh. Henr. Meibom. Comment. in Jusjur. Hippocr. p. 38.

(6) Tzetz. Chil. X. 711 sq.

9

σειν τὰ σώματα (quod corpora sana et integra servat); vel ἀπὸ τοῦ ἀναβάλλεσθαι τὴν κατὰ τοῦ θανάτου γινομένην ἀπόκλησιν (7): juxta alios denique παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως τοὺς νοσοῦντας, vel παρὰ τὸ μὴ σκελετεύεσθαι αὐτοὺς ἐὰν ἠπιῶς προσφερόμενον (8). Videmus ex his, quanti sint faciendae etymologiae istae: cuicunque aliquam praeformatam opinionem habenti non difficile est, aliquam etymologiam excogitare, quae cum ea conveniat, dummodo, si necesse sit, scite parumper litteras commutare sciat: sed non credo, ex etymologiis aliquid de Aesculapio esse conficiendum. Quod autem locum istum Pausaniae attinet, ex hoc non temere aliquid de symbolica quadam mythi Aesculapii explicatione esse concludendum, abunde patet cum ex auctoritate tot aliorum a me citatorum auctorum, tum quoque ex iis, quae minus accurate de Aesculapii origine et persona a Pausania dicta, saepius in hoc § ostendimus; quare neque hoc loco Pausaniae nostrum judicium de Aesculapio prolatum aliquid immutatur.

Medicinam Aesculapium docuit Chiron (9), cui educandum eum dederat pater Apollo. Mirationem movere nequit, postea multa fabulatos esse veteres de sanationibus ab hoc viro perfectis, quae, cum tunc temporis ars nostra rudis adhuc esset, mirificae habendae erant, adeo ut et mortuos ab illo in vitam revocatos esse perhibuerint. Cum enim a Minerva accepisset sanguinem, qui ex venis Gorgonis fluxerat, illo ex sinistris venis ad homines interficiendos est usus; ad eos sanandos vero illo ex dextris, cujus ope etiam mortuos suscitabat. Jupiter autem metuens, ne homines medendi artem ab illo edocti sibi mutuam opem praestarent, fulmine eum necavit (10).

(7) Suidas Lexicon in voce Ἀσκληπιάδης (T. I. p. 351. ed. Küsteri.). Cf. Phurnut. de Nat. Deor. c. 33. p. 229 (in Gale Opusc.).

(8) Eustath. in Iliad. Δ. 202. p. 35.

(9) Pind. Pyth. III. 15. Cf. 80 sqq. Id. Nem. III. 92 sqq. Philostr. Heroic. IX. init. Apollod. III. 10. 3.

(10) Apollod. III. 10. 3. „φοβηθεὶς, μὴ λαβόντες ἄνθρωποι θεραπείαν πάρ' αὐτῶν βοηθῶσιν ἀλλήλοις." Cf. Heyne, Obs. in h. l. p. 280 sq., qui pro παρ' αὐτῶν legit παρ' αὐτοῦ.

Juxta hanc Apollodori traditionem caussam irae Jovis in eo ponere possimus, quod metuerit, ne homines, invitis Diis, se adjuvantes a morte vindicarent, non autem a Diis per sacra salutem flagitarent. Convenit cum hac Eratosthenis narratio, a quo dicuntur Dii aegre tulisse, Aesculapium mortuos in vitam restituere, quod si faceret, irriti fierent ipsorum honores (11); quam ob rem ei iratus fulmine Jupiter domum ejus (τὴν οἰκίαν αὐτοῦ) cum ipso percussit. Ex his quodammodo conficere possimus, Aesculapium jam rationalem medicinam exercuisse, eamque, quae per sacra et lustrationes fiebat, plane omisisse, quamobrem ei merito irati fingebantur Dii. Sed cum, uti in capite sequenti indicabimus, alia documenta exstent, quibus probetur, etiam Aesculapium per incantationes sanasse, cumque caussa mortis ab aliis auctoribus alio iterum modo narretur, ex his Apollodori et Eratosthenis verbis non multum de Aesculapii medicinae natura conficiendum esse puto. Ita juxta Diodorum ideo eum fulmine necavit Jupiter, quia apud hunc Pluto querelas instituerat, quod ejus medicatione subinde mortuorum numerus decresceret (12); et juxta Pindarum, quia pro ope medica nimiam mercedem postulabat (13). Tam varie autem Aesculapii mortis caussam narrare auctores, dicit Sextus Empiricus (14), ut de veritate ejus vix discernere valeamus. Quae cum ita sint, tamen non video, quare Heraclitus, eum febre inflammatoria, et Suidas, eum peripneumonia interemtum, dixerint (15), cujus

(11) Eratosthen. Catast. c. 6. „δεὶ αἱ τιμαὶ καταλυθήσονται αὐτῶν."

(12) Diod. Sic. Lib. IV. c. 71.

(13) Pind. Pyth. III. 96 sqq. Cf. Schol. ad h. l., ubi dicitur Aesculapius necatus esse, quia mercede pollicitus erat, Hippolytum in vitam revocare (Cf. Lactantii divin. Instit. Lib. I. c. 10. Paus. II. 27.). Variae caussae ibidem mortis Aesculapii afferuntur, ad quas etiam nonnulli Proetidarum sanationem referebant.

(14) Sext. Empir. advers. Gramm. Lib. I. c. 12. § 260 sq. p. 271. ed. Fabritii.

(15) Heraclit. de incredibilibus. c. 26. p. 78. (Gale Opusc.). Suidas in voce Ἀσκληπιάδης. T. 1. p. 352.

genereris mortis argumentum certe ex traditione ea, qua fulmine ictus dicitur mihi petendum non videtur, cum potius apoplectici quasi fulmine icti moriantur, cumque Jupiter non solum Aesculapium, sed etiam ejus domum fulmine percussisse dicatur. Sed nostro scopo parum refert, an ex morbo, an vero violenta quadam morte sit mortuus Aesculapius; sufficiat dixisse, eum postea summa religione per totam Graeciam cultum fuisse, uti in capite de medicina in templis ostendetur.

§ 15.

Ad eos, qui post mortem ob ea, quae durante vita de medicina egregie meruerant, divinos honores acceperunt et sanationes tribuere credebantur, pertinent etiam Aesculapii filii Podalirius et Machaon, quorum, tanquam heroum contra Trojam belligerantium, uti in praecedente § vidimus, saepius in Iliade fit mentio (16). A Chirone educati (17) et eloquentiae et artis bellandi et medicinae erant peritissimi, omnique civili virtute civitatibus erant utiles, cum non modo corporis morbos depellerent, sed et civitatum aegritudines sanarent, aut potius omnino oriri prohiberent. Hoc ab Aristide (18) de iis prolatum testimonium confirmatur verbis Diodori dicentis, eos propter medicam artem Graecis magno usui fuisse, tantamque gloriam accepisse, ut certaminibus proeliisque immunes essent (19). De hac eorum a pugnis immunitate non loquitur Homerus, apud quem medici quidem boni (20) vo-

(16) Cf. etiam Apollod. III. 10. 8. p. 322. ed. Heyne: ubi ad eos Graecorum principes pertinuisse dicuntur, qui Helenam in matrimonium petebant. — De Podalirio et Machaone, de eorum vita, iisque, quae in arte medendi praestiterint cf. P. Kerkhoven, Dissertatio de Machaone et Podalirio, primis medicis militaribus. *Groningae*, 1837.

(17) Xenophon. Cyneget. p. 973. Contraria statuit Aristides (Orat. in Asclepiad. T. I. p. 76.) dicens, ipsum patrem eos in horto Sanitatis educasse.

(18) Aristid. l. c. p. 81. (19) Diod. Sic. Lib. IV. c. 71. (T. I. p. 315.)

cantur, sed aeque ac caeteri Graeci pugnantes et vulnera accipientes describuntur (21). Videntur tamen, uti Celsus in praefatione Libri primi de medicina dicit, vulnera tantummodo curasse, neque in internis morbis aliquid auxilii attulisse; quacum sententia pugnant ea, quae Scholiastes narrant, scilicet ita inter se medicinam distribuisse eos, ut Machaon chirurgiam, Podalirius vero medicinam internam exercuerit (22). Hoc saltem patet ex Iliade, interna remedia tunc temporis fuisse simplicissima, adeo ut ipsi Machaoni vulnerato vinum Pramnium cum caseo, cepis et farina praeberetur (23): poëtae vero recentiores metaphorice medicinam artem Machaoniam et medicos Machaones vocant (24). Post bellum Trojanum Machaon cum Nestore in Messenia vixisse videtur, ibique ab Eurypylo, Telephi filio, interfectus, quare et nefas fuit hujus nomen in templo Aesculapii, quod Pergami erat, nominare. Pausaniae tempore in Messeniorum urbe Gereniae erat monumentum et templum Machaonis: simulacrum illud erat ex aere confectum, statu erecto, caput corona cinctum, quam patria lingua Ciphos vocabant Messenii: divinos honores eum accepisse dicit Pausanias, quia de medicina optime erga homines meruerat: ibi primus Glaucus Machaoni rem divinam fecit (25). Plures filios habuit, scilicet Sphyrum, Alexanorem, Polemocratem, Gorgasum et Nicomachum (26); quorum certe Polemocrates, Gorgasus et Nicomachus etiam medicinam exercuisse videntur, adeo ut ob summa eorum de medicina merita iis templa struerentur: in illud Gorgasi et Nicomachi tempore Pausaniae etiamnum victimas et donaria miserunt incolae,

---

(21) Il. Λ. 833, 835. Hyginus (fab. 108.) refert, Machaonem inter eos fuisse, qui equo ligneo inclusi Trojam introducebantur.

(22) Eustath. ad Il. Δ. vs. 202. p. 352. Cf. Id. ad Δ. vs. 514. p. 802.

(23) Il. Λ. 637.

(24) Ovid. Remed. Amor. vs. 546. Id. Epist. ex Ponto. Lib. III. Ep. IV. vs. 7.

(25) Paus. III. 26. Cf. Id. IV. 3.

(26) De quibus cf. Paus. II. 23, 11, 38. IV. 30.

quia ab illis tum quoque morbis laborantes sanabantur. Quod ad Podalirium attinet, eum tempestate Syron delatum fuisse, ibique consedisse, narrat Pausanias (27). Quae de eo refert Stephanus Byzantinus (28), eum in Cariam expulsum, a caprario quodam servatum atque ad Damaethum Cariae regem adductum, hujus filiam e tecto delapsam venaesectionis ope sanasse, cum clarissimo v. Limburg Brouwer (29) a recentiore auctore tradita habeo, quam ut ex iis aliquid certi de prima venaesectione a Podalirio instituta pronunciare possimus; licet aeque minus Plinio assentiendum putem, dicenti, primam venaesectionem ab hippopotamo homines didicisse (30). Juxta aliam traditionem (31) mortuus est Podalirius in Italia (in Ausoniorum littoribus), ibique ei ab incolis (Dauniis) divini honores tribuebantur, tanquam morborum depulsatori (νόσων ἀκεστής); Daunii autem super sepulchrum ejus in pellibus ovinis cubantes in somniis ejus oracula accipiebant, loti in flumine Althaeno, eumque invocabant, ut veniret civibus et gregibus propitius. Haec Lycophrontis traditio eo majorem probabilitatem habet, quod etiam Strabo de hoc sepulchro Podalirii in Italia exstructo mentionem facit et de fluvio exinde fluente, cujus aqua omnis generis morbi pecoris sanabantur (32).

§ 16.

Praeter filios Podalirium et Machaonem, etiam filias habuisse

(27) Paus. III. 26. (28) Steph. Byzant. de Urb. in voce Σύρνα p. 586.

(29) P. v. Limburg Brouwer, Verhandel. en losse Geschriften. *Groningen*, 1836. p. 204. A viro clar. videtur differre doct. Kerkhoven (Diss. laud. p. 74 sq.), siquidem hanc Stephani narrationem maximi momenti habeat, cum indicet, quam perantiquus mos sit, venas ad sanguinis profluvium secandi.

(30) Plin. VIII. 26.

(31) Lycophrontis Alex. vs. 1047 sqq. (ed. Potter.). Utramque traditionem conjungit doct. Kerkhoven (l. l. p. 24.), adeo ut juxta virum doctissimum Podalirius in Caria regnaverit quidem, sed non totam vitam ibi degerit, verum tempestate in Ausoniae rivos jactatus fuerit.

(32) Strabo. Lib. VI. p. 436. *A.*

Aesculapium, dixerunt recentiores, Hygeam, Aeglen, Jasonem, Acesonem et Panaceam (33), quibus alii sextam etiam addunt, nomine Romae (34). Harum Aceso et Aegle, juxta Meibomium (35), solo nomine ex Suida tantummodo sunt notae; qua in re, quod ad Aeglen, errat, quum etiam Plinius et Aristides (36) hujus tanquam filiae Aesculapii faciant mentionem. Hoc vero abunde patet, imprimis Hygeae et Panaceae divinos honores esse tributos, cujus rei testimonium est magnum illud jusjurandum Hippocraticum, quod non solum per Apollinem et Aesculapium, sed etiam per Hygeam et Panaceam jurasse dicuntur medici, omissis caeteris omnibus filiabus Aesculapii (37): in Aristophanis Pluto tamen etiam de Jasone fit mentio (38), quae cum sorore Panacea patrem Aesculapium comitatur. Quod ad Hygeam attinet, eam tanquam filiam Aesculapii a Pallade Hygea distinguit Pausanias: erat autem hujus simulacrum Athenis (39): plerumque Aesculapium comitatur (40). Complura ejus dantur simulacra, in quibus peculiari habitu vestita conspicitur. Fingitur maximam partem habitu matro-

---

(33) Suid. Lexic. T. II. p. 66. in voce Ἠπιόνη.

(34) Serv. ad Virg. Eclog. I. vs. 20. (ex Marino Lupercorum poëta):

„Sed diva flava et candida
Roma, Aesculapi filia,
Novum nomen Latio facit.
Hinc conditricis nomine
Ab ipso omnes Romam vocant."

(35) Meibom. Comment. in Jusjur. Hipp. c. VI. p. 54.

(36) Plin. XXXV. c. 11. Aristid. Orat. in Asclepiad. p. 82.

(37) Rogat Meibomius (Comment. in jusj. c. VI. p. 65.), an ideo per Hygeam et Panaceam solas juraretur, quia natu fuerint majores, an quia per istas duae praecipuae medicae artis partes indicentur (sc. sanitatis integrae conservatio et amissae restitutio)? Has, uti et caeteras, quas profert Meibomius, rationes hujus rei, vagam potius conjecturam esse, quam ut certiori quodam et firmiori nitatur fundamento, dicit Hundertmarck (De principibus Diis artis medicae tutelaribus, p. 34.).

(38) Aristoph. Plut. vs. 702. (39) Paus. I. 23. (40) Paus. VII. 23.

nali, veste alba talari cum patella, cui maza imponitur, ad quam serpens adspirat; saepe etiam pingitur serpens ex manu porrigentis Hygeae accipiens. Ex capite ejus saepe instar stellae relucet pentagonum, lineis peculiari ratione inter se deductis (41). Panacea juxta Scholiastem in Aristophanis Plutum non erat filia Aesculapii, sed Amphiarai (42): in cujus templo apud Oropios erat ara, cujus pars Panaceae erat dicata: sed observandum est, hujus arae partem etiam Hygeae et Minervae Paeoniae fuisse dicatam (43), quam ob rem ex hac in templo Amphiarai Panaceae dicata ara non multum ad genealogiam hujus Deae est conficiendum. De omnibus vero his, ut credebantur, filiabus Aesculapii dubitandi est locus, an quidem hunc patrem habuerint, et annon potius Deae allegoricae sint habendae, quae recentiori tempore, quum Aesculapius jam pluribus in locis templa habebat, sunt excogitatae. Qui enim de Aesculapio heroe loquuntur, filiarum mentionem non faciunt; et licet apud veteres auctores saepius ejus filios eorumque res gestas offendamus, nusquam de iis, quae filiae fecissent, neque quas ob caussas iis divini honores sint tributi, sermo est. Primus, apud quem Hygeae vestigia offendimus, est poëta Licymnius, Simonidis, uti veri est simile, aequalis, in cujus fragmento, quod citat Sextus Empiricus (44), nomine Matris tanquam Dea invocatur; in hymno Orphico in Aesculapium uxor hujus Dei appellatur (45); et Pausaniae tempore erat Aesculapii

---

(41) Hundertmarck, l. c. p. 29. Schulze, Historia Medicinae, Period. I. Sect. II. c. 4. § 20. Cf. Montfaucon, L'antiquité expliquée, T. I. Part. II. p. 288. Planche 189.

(42) Schol. in Aristoph. Plut. vs. 701. (ed. Küsteri).

(43) Paus. I. 34.

(44) Sext. Empir. adv. Ethnicos. Lib. XI. § 49. p. 701. ed. Fabrit. Cf. et Ariphron Sicyonensis apud Brunck analect. Vol. I. p. 159.

(45) Orph. hymn. in Aescul.

Φοίβου Ἀπόλλωνος κρατερὸν θάλος ἀγλαόμορφον
Ἐχθρὲ νόσων, Ὑγιείαν ἔχων συλλέκτρον ἀμεμφῆ.

simulacrum, quod Hygeae dicebatur (46); adeo ut, quum antiquiores poëtae et auctores de Hygea et Panacea omnino non loquantur, quumque recentiores de earum genealogia non constent, neque eorum ullus narret, quid in terris egerint, jure dubitemus, revera Aesculapio filias hujus nominis fuisse, et credamus, has Deas fuisse recentiores allegorias, ab hymnorum poëtis excogitatas (46*). Nomina autem sunt derivanda a morborum sanatione et ab ipsa sanitate, quae ab Aesculapio petentibus tribuitur (47). Sunt igitur hae ita dictae Aesculapii filiae minus recte referendae ad eos, de quibus in hoc capite egimus, homines, qui ob summa de medicina merita post mortem divinos honores acceperunt, sed potius ejus generis Deas medicas, quales apud Romanos praeter Bonam Valetudinem plures offendimus, uti Fessoniam, quae ab aegrotantibus debilibus invocata esse videtur (48), et Ossipagam, quae ossium incrementum curabat (49). Romani autem etiam alias Deas medicas colebant, quibus non ob earum salutares effectus divini honores tribuebantur, sed quas prae timore in Deorum numero recensuerunt. Sic morbi ipsi apud hos tanquam numina aras et templa habebant. Prae trepido metu publice in Palatio Febri fanum esse dicatum,

---

(46) PAUS VII. 23: » τὸ αὐτὸ (Aesculapii) ἄγαλμα Ὑγείας τε ὀνομάζεσθαι.''

(46*) Cf. praeter SPRENGEL, o. l. p. 193 (ed. 1821) etiam LESSING, Handbuch der Geschichte der Medizin. Bnd. I. *Berlin*, 1838. p. 7.

(47) Schol. ARISTOPH. Plut. vs. 639. Panacea (παρὰ τὸ πάντα ἀκεῖσθαι): Hygeia (παρὰ τὸ ὑγείαν παρέχειν): Jaso (παρὰ τὸ ἰᾶσθαι). Juxta MEIBOMIUM (l. c. p. 54.). Aegle notat splendorem corporis: Rome, sive Valentia, membrorum et artuum robur validasque vires. THEOD. ZUINGERUS (apud eundem p. 55.) Aeglen non ad habitudinem corporis, sed ad gloriam et existimationem, quae medicum insequitur, refert. Videntur tamen MEIBOMIUS (p. 54.) et HUNDERTMARCK (l. c. p. 26.) credidisse, Aesculapii filias revera in terris degisse: loquuntur enim de earum patre iis nomina ab artis officiis vel emolumentis tribuente.

(48) AUGUSTIN. de civit. Dei Lib. IV. c. 21. p. 447.

(49) ARNOB. contra gentes. Lib. IV. p. 85.

refert Plinius, aliique (50). Nam — ita Gellius — Deos quosdam, ut prodessent, celebrabant, quosdam, ne obessent, placabant. Similem ob caussam etiam Mephitis templum, quod fuit Cremonae (51), exstructum esse, per se improbabile non est.

§ 17.

Dubito etiam, ad medicos heroes Herculem esse referendum. In hymnis Orphicis quidem de Hercule omnia morborum remedia afferente est sermo (52), et Aristides in oratione, quam in hunc heroem composuit, eum omnes curare dicit morbos, ideoque Messinae in Sicilia tanquam Deum medicum adorari, eumque apud Coos nomine Alexeos (Ἀλεξις) invocari (53); quam ob rem et ipse Aristides in eum Paeanem composuit, cui accinebatur: »Io Paean! Hercules Aesculapi! (54)" Pluribus autem in locis ei nomina sunt tributa, quae a salute, quam humano generi tradidisse credebatur, sunt derivanda. Sic per totam Elidem tanquam σωτήριος invocatus est, quia morbum malignum derivando flumine abstulisse dicebatur; et Ephesi cognomen ἀποτροπαῖον habuisse videtur, et juxta Scholiastem in Aristophanis Ranas in pago Attico Meliti erat templum Herculis Alexicaci (Ἀλεξικάκου), quod ei structum esse, cum magna pestilentia desiisset, dicebatur (ἡ δὲ ἵδρυσις ἐγένετο κατὰ μέγαν λοιμὸν, ὅθεν καὶ ἐπαύσατο ἡ νόσος) (55). Haec omnia probant, posteriori tempore Herculi cuidam etiam efficaciam adscriptam fuisse ad

(50) Plin. II. 7. Cicero, de Nat. Deor. Lib. III. c. 25. Aelian. Var. Hist. Lib. XII. c. 11. p. 734. (Gronov.).

(51) Tacit. Histor. Lib. III. c. 33.

(52) Orph. Hymn. in Hercul. vs. 14. (p. 273. ed. Hermann.):

»Ἐλθὲ μάκαρ νούσων θελκτήρια πάντα κομίζων."

(53) Aristid. Orat. in Hercul. p. 61 sq.

(54) Ibid. p. 64. Cf. Ejusd. Orat. Sacr. IV. p. 587.

(55) Philostrati vita Apollon. Lib. VIII. c. 7. p. 341. ed. Olearii. Cf. Olear. ad. h. l.

morbos sanandos: sed longe tamen abest, ut hanc ob rem credamus, Herculem Thebanum, Jovis et Alcmenae filium, ob ea, quae de medicina egregie meruerat, divinos accepisse honores, et inde ab initio, cum in Deorum numero recenseretur, tanquam Deum medicinae tutelarem invocatum fuisse. Omnes enim a me citati auctores ad recentiores pertinent, qui vixerunt, quo tempore Graeci ipsi alios Hercules cum Thebano confundebant. Imprimis cum hoc Herculem Cretensem montis Idae, unum ex Dactylorum numero, et Phoenicum Herculem, qui apud hos nomine Melkarth gaudebat, confuderunt; adeo ut fuerint templa Herculi dicata, quae, licet a plerisque Hercules hicce pro Amphitryonis filio haberetur, ob vetustatem ipsi Pausaniae videbantur non huic, sed Herculi Idaeo fuisse exstructa (56); et ut ipsi Thasii, qui eundem ac Tyrii et Phoenices Herculem colebant, Olympiae Herculi suo simulacrum dicarent iisdem insignibus, arcu nempe et clavo, quibus Thebanorum Hercules, instructum (57). Quod autem ad Herculem Idaeum attinet, Diodorus Siculus, quum huic ludorum Olympicorum institutionem adscribit, recentiores dicit, nominis similitudine in errorem ductos, hos ludos Herculi, Alcmenae filio, adscripsissse: quem errorem etiam eo probari dicit, quod tum quoque mulieres incantationes ab eo deducerent et amuleta gestarent, quasi ipse fuisset magus (γοήτης) et sacras caeremonias tractasset; quae plane differe a natura (συνηθεια) Herculis, Alcmenae filii, dicit (58). Itaque Hercules Idaeus juxta

---

(56) De Thespiensium Hercule cf. Paus. IX. 27. in fine. Idem etiam Erythraeorum Herculem habet Herculem Idaeum. Cf. P. v. Limburg Brouwer, Hist. de l. civ. d. Gr. T. I. p. 256. annot. 92, qui a Pausania hac in re differens hunc Erythraeorum Herculem habet Melkarth Phoenicum et Tyriorum. Cf. Paus. VII. 5.

(57) Paus. V. 25. De hoc Tyrio Hercule a Thasiis adorato cf. Herod. II. 44. De eodem et honore, quo apud Tyrios erat, et de eorum more, huic Deo templa exstruendi, quocunque in loco colonias statuebant, cf. Strabo. Lib. XVI. p. 1098. B. Diod. Sic. Lib. V. c. 20. (T. 1. p. 345.) Lib. XX. c. 14. (T. 2. p. 415.)

(58) Diod. Sic. T. 1. p. 243. Cf. p. 382: De Hercule Idaeo ludorum olympicorum institutore cf. Paus. V. 7. Cf. IX. 27. V. 8. Etiam Strabo. Lib. VIII. p.

Diodorum ab initio credebatur a morbis incolumes eos servare, qui ipsius amuleta gestarent. Non improbabile est, recentiores, quum Herculem Idaeum cum Alcmenae filio confunderent, hunc eodem modo heroem medicum habuisse, quemadmodum mulieres, de quibus loquitur Diodorus, amuleta illius Thebano Herculi attribuerunt. Ipsum Herculem, quem in insula Coo adoratum nomine ἀλεξέως Aristides celebravit, non fuisse Alcmenae filium, sed Dactylorum unum, ex eo conficiunt complures, quod sacerdotes muliebri vestitu induti ei sacra faciebant (59); et forte mythus, qui apud Plutarchum de caussa narratur, quare tam singulari ratione ibi coleretur (60) Hercules, recentiori tempore est excogitatus, quum jam diu antea hac ratione Hercules a Cois fuisset adoratus. Porro quemadmodum Alcmenae filius Hercules ἀλεξικάκος cognominatus est, quod cognomen ei potius ob monstra debellata tributum fuisse censet doct. Vink (61), ita Herculi Idaeo arae erant dicatae, nomine Auxiliatoris (παραστάτης) (62): quod utrumque nomen non ita multum a se differt: hinc recentiores facile malorum liberatori eandem in morbis depellendis efficaciam adscripserunt, quam jam antiquitus auxi-

544. al. 335. Amuletorum autem istorum, de quibus loquitur Diodorus, exemplum prostare adhuc videtur apud Alex. Trallianum (de arte medica. Lib. X. 1. p. 66. Tom. VII. A. v. Haller, Artis medicae principes.), ubi dicitur Hercules erectus et leonem illidens in annulo gestatus doloribus colicis liberare.

(59) Sprengel, Gesch. der Arzneyk. T. 1. p. 174. (ed. 1800.) Cf. K. O. Müller, o. c. Bnd. II. p. 450. Ipse Müller huic Herculi Asiaticam originem adsignat.

(60) Plutarch. Quaest. Graec. p. 304. Quum e Troja avectus scilicet tempestate adversa ad Coon compulsus esset Hercules, cum Meriopibus ortum est certamen; quo Hercules defatigatus ad Thressam adversariorum mulierum confugit, ibique latuit, cum se texisset muliebri veste. Nititur forsan hic mythus tum antiquissimo Coorum mori, Herculi veste muliebri sacra facere, tum iis, quae narrat Homerus (Il. Ξ 250. sqq.), Junonem, postquam Hercules, Trojanorum urbe direpta ab Ilio navigavit, excitatis saevorum ventorum flatibus, eum ad Coon detulisse separatum ab omnibus amicis.

(61) Vink Amoenitates Philologico-medicae. p. 232.

(62) Paus. V. 8. 14.

liator habere existimatus fuerat. Qui saltem ex antiquioribus auctoribus, res ab Hercule gestas narrant, non de Hercule medico videntur cogitasse, sed de heroe fortitudine et viribus omnes excellente, qui aequales malis extrinsecus iis imminentibus liberabat, minime vero iis, quae ex ipsius corporis aegritudine originem ducunt. Nam Hesiodus narrans, Prometheum, cujus hepate continentèr vultur vescebatur, ab Hercule liberatum esse crudeli isto supplicio, certe non de morbo quodam hepatis cogitasse videtur, uti putat Sprengel (63); licet dicat poëta, morbum malum profligasse Herculem (64): nam vox νοῦσος hoc loco significat in genere id, quod aliquis patitur, quemadmodum etiam de vitiis et peccatis dicitur: uti in hoc casu, ita etiam in illo ad metaphora pertinet. Porro, quod ad Alcestidem Admeti uxorem ab Hercule in vitam revocotam attinet, recentiores quidem dixerunt, Herculem, quum medicus esset, Alcestidem aegrotantem servasse (65): sed alii de morbo Alcestidis et medicatione ab Hercule peracta non loquuntur, sed vel Proserpinam, quum Alcestis semetipsa obtulisset, ut pro marito obiret, eam remisisse dicunt vel Herculem, postquam cum Plutone de illa pugnavit, eam Admeto servasse (66): alii dicunt, eum Alcestidem ex inferis revocasse, vel reduxisse (67). Quin fuerunt, qui explicationem hujus mythi plane ab illa, quam dedit Plutarchus, differentem excogitarunt: scilicet Alcestidem se Acasto victori tradidisse, ut pro marito moreretur: Herculem autem supervenientem eam ex morte servatam Admeto reddidisse (68): quam explicationem certe magis cum caeteris, quae ab Hercule gesta nar-

---

(63) Gesch. der Arzneyk. p. 175. (ed. 1800.) p. 176. (1821.).

(64) Hesiod. Theog. vs. 527. „κακὴν δ' ἀπὸ νοῦσον ἄλαλκεν."

(65) Plutarch. Amator. p. 761.

(66) Apollod. I. 9. 15. p. 79. (ed. Heyne) Cf. II. 6. 2. p. 204.

(67) Hygin. fab. 51. p. 57. ed. Müncker. Cf. Sext. Empir. Pyrrhon. hypotyp. Lib. 1. c. 33. p. 61.

(68) Tzetz. Chil. II. 786 sqq.

rantur, convenire crederem, quam alteram illam de Hercule medico. At explicationes hujus mythi ipse non tanti habeo, et potius narrationem de Alcestide ex morte ab Hercule revocata ad illas hyperbolicas narrationes referrem, quas de suis heroibus saepissime finxerunt Graeci. Quemadmodum autem Herculem Cerberum ex Orco reducentem dixerunt, eumque non solum hominibus, sed etiam Diis immortalibus profuisse, iisque in certamine cum Gigantibus opem tulisse finxerunt (69), ita per eandem exaggerationem narrarunt, mortalem ex Orco revocasse eundem, qui Orci custodem secum duxisset. Non ita medicina tunc temporis, quo veteres vixisse Herculem contenderunt, exercebatur, quemadmodum res ab eo gestae narrantur: non enim Deorum iram placando sacrificiis lustrationibusque, sed strenue pugnans homines malis liberavit. Non ita Aesculapius, Melampus, caeterique hujus aevi medici, quorum curationes longe alio modo enarrantur. Si autem medicum habuissent veteres Herculem, heros noster apud Sophoclem non dixisset Philocteti, se ei Aesculapium missurum (70). Igitur nec in his, nec in caeteris Herculis factis aliquid videre possum, quod ad medici munus spectare videtur; sed credo, recentiores, sive eum cum Idaeo Hercule confundentes, sive nominibus ἀλεξικάκος et ἀποτροπαῖος caet. in errorem ductos, eum tanquam morborum depulsatorem adorasse. Si autem neque Paeanes in Herculis honorem compositi, neque cognomen ipsum Aesculapii ei a nonnullis traditum mihi sufficientem rationem praebere possunt, cur eum medicum heroem pronuntiem, per se patet, eundem minime talem me declarare posse propterea, quod veteres ei thermas esse sacras perhibuerunt. Thermae ab illo nomen habuisse videntur (71),

---

(69) Diod. Sic. Lib. IV. c. 15. (T. 1. p. 261.).

(70) Soph. Phil. 1415 sq.

(71) Athen. Lib. XII. p. 512. ed. Casaub. Etiam apud Aristophanem balnea Herculea (λουτρὰ Ἡράκλεια) opponuntur frigidis (ψυχρὰ) (Nub. vs. 1047.).

et quidem, ut ait Scholiastes, quia Vulcanus, vel, secundum alios, Minerva eorum usum eum docuerat. Etiam morbus ab Hercule nomen habet, comitialis nempe (72): non quia hunc morbum curare docuerat, sed quia cum hocce morbo compararunt furorem illum, quo affectus est heros, quum vestem sanguine Centauri Nessi imbutam, ipsi a Dejanira uxore missam, induisset; et cujus descriptio legi meretur apud Sophoclem (73). Alii vero morbum ita vocatum esse dicunt, non quia eo Hercules vexatus fuerat, sed ut nomine ipso morbi saevitia exprimeretur ejusque magnitudo significaretur (74). Nemo autem morbum ita vocans de Hercule medico videtur cogitasse.

SECTIO II.

DE NECESSITUDINE, QUAE ERAT INTER DEORUM CULTUM ET MEDICINAM.

CAPUT I.

Medici sunt sacerdotes, aut religiosis ritibus ad medendum utuntur.

§ 18.

Quum gravis illa pestis, de qua narrat Homerus, Achivos

Cf. schol. in h. l. Etiam Eustathius plus semel de balneis Herculeis loquitur et quoque ad locum ex Aristophane citatum spectat (Eustath. ad Il. X. vs. 444. p. 1279.). De hortis Herculeis mentionem facit Oenomaus apud Eusebium (Praep. Evang. Lib. V. c. 22. p. 214.).

(72) Aristot. Problem. Sect. XXX. in init. Hippocr. de morb. mulier. Lib. 1. p. 593. (ed. Foës.).

(73) Sophocl. Trachin. vs. 767 sqq. Cf. Hygin. fab. 34, 36.

(74) Galen. Comment. in Hippocr. Epid. Lib. VI. p. 197. Class. II. (ed. Venet. ap. Juntas 1625.).

Trojam obsidentes vexaret, Achilles, ut calamitate ista liberarentur, suasit, ut aliquem vatem (μάντιν) vel sacerdotem (ἱερῆα) vel somniorum interpretem (ὀνειροπόλον) consulerent, qui diceret, cur tantopere esset iratus Phoebus Apollo (75). Optime ex hocce loco Homerico patet, quinam tunc temporis gravibus in morbis consulerentur, et cujusmodi eorum esset medicina; ipse enim Calchas vates, qui dein sese obtulit, non naturalem quandam medelam, sed sacrificia et lustrationes in usum vocare jussit, ut Deus iratus placaretur. Quum morbi Deorum irae adscriberentur, nemo certe mirabitur, populum ab iis auxilium petivisse, qui arctiori consuetudine cum immortalibus uti credebantur, quales erant vates et sacerdotes, eundemque a sacrificiis, caeterisque, quae Diis gratae esse existimabantur, rebus certissimam morborum medelam exspectasse. Et quod ad ipsos sacerdotes vatesque attinet, jam ob hanc ipsam aequalium opinionem erant aptissimi, qui medicinam exercerent, siquidem fides, quam aegrotantes medico suo habent, ad ea pertinet, quibus sanatio quam maxime promovetur. Hoc imprimis valet de iis, de quibus nunc sermo est, temporibus, quum ars medica rudis esset, remediorum autem numerus minimus et ex simplicissimis constans, quumque morbi acutioris generis, atque corporum constitutiones firmiores essent, adeo ut vitae regimine legitimo observato per crises salutares in sanationem exire amarent, dummodo animi tranquillitas corporis quieti et debitae abstinentiae, quibus etiamnum plerique morbi sanantur, accederet. Sed praeter hanc ex aegrotantium fide desumptam rationem etiam aliae sunt, quas propter a sacerdotibus vatibusque optime medicina exercebatur. Hos penes enim erat omnis scientia et eruditio, quae tunc temporis apud homines .reperiebantur; quin ipsa scientia, qua ante aequales, pecori et agris tantummodo curam impendentes, excellebant, cum arte vaticinandi, qua juxta populi opinio-

(75) Il. *A*. vs. 62.

nem erant insignes, arctissime conjuncta erat. Quum enim sapientes sedula naturae observatione aliquam ejus phaenomenorum cognitionem accepissent, quumque ex iis, quae antea saepius accidere vidissent, cum quadam certitudine praedicere possent, quid esset futurum, quando se eodem, quo antea, modo res habebant, non potuit, quin rudes et inculti hujus aevi homines, cum illud inter caussas et effectus, vel inter praeterita et futura necessarium vinculum non perspicerent, Deos ipsos cum iis, qui ita futura annuntiabant, consilia ipsorum communicasse putarent, eosque sapientes tanquam vates venerarentur. Ipsi veteres auctores vatibus non solum futurarum, sed etiam praesentium et praeteritarum rerum cognitionem adscripserunt (76), ideoque optime indicarunt, quinam esset fons illius ab aequalibus adeo laudibus celebratae artis vaticinandi. Si vero auctoritatem, qua apud aequales gaudebant sapientes, servare vellent, hoc naturale inter rerum praeteritarum et futurarum cognitionem vinculum hominibus vulgaribus non erat indicandum, sed contra ita futura erant praedicenda, ut, qui ipsos audirent, eos a Diis inspiratos esse putarent, eosque majore etiam admiratione prosequerentur. Ita ab initio scientia iis, qui ea erant instructi, simul famam vaticinationis tribuit; eos autem simul sacrificia fecisse et sacerdotum munere esse functos, per se patet; quibus enim potius sacra ministeria traderentur, quam iis, qui jam arctiori cum immortalibus uti consuetudine credebantur? Non potuit igitur, quin simul cum caeteris scientiis etiam medicina penes sacerdotes vatesque esset. Quemadmodum vero vaticinia non vulgari sermone, sed obscuriore et mysterioso quodam edebant, ita etiam medicinam, licet saepius forsan naturalibus medicamentis uterentur, mysteriosis caeremoniis exerce-

(76) Sic de Calchante vate dicit Homerus (Il. *A.* 70.) „Ὃς ᾔδη τά τ'ἐόντα, τά τ'ἐσσόμενα, πρό τ'ἐόντα." Cf. Virg. Georg. Lib. IV. vs. 392.:

„— Novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur."

bant, ut firmior sua apud aequales staret fides; hinc sacra (τελεταί), lustrationes (καθαρμοί) et incantationes (ἐπαοιδαί), quibus hujus aevi medici curationes suas perficere credebantur, quaeque ipsis medicamentis efficaciora habebantur. Rogantibus, annon eorum auctoritas apud aequales mox cadere debuerit, si optata sanatio non secuta esset, respondeo, tam infelicem exitum non adeo saepe locum habuisse, quia corporis vires tunc temporis erant firmiores; cum porro eorum ars medica plane observationi niteretur, ideoque ipsi prognosi magis, quam therapia valerent, cauti certissime erant in aliquid de morborum exitu praedicendo, neque prognosin faciebant, nisi signa sive in bonam, sive in malam partem essent manifesta: exitus autem infaustus, si ab ipsis esset praedictus, nihil detrimenti eorum auctoritati afferebat. Si vero de exitu aliquid certi pronuntiari non posse existimarent, sacra in usum vocabant, ut Dii irati placarentur; quibus factis, si aegroti essent sanati, medicorum auctoritas certissime augebatur, si vero mors secuta esset, opinio illa, qua morbi Deorum irae adscribebantur, impediebat, quominus eadem auctoritas imminueretur, cum in tali casu certissime flagitium majus haberetur, quam quod sacris expiari posset. Utriusque hujus rei, tum prognosis audacter pronuntiatae, tum ejusdem in casu dubio caute omissae, et medici auctoritatis ob infelicem successum non imminutae, curationes, quas a Melampode peractas perhibuerunt veteres, optima argumenta praebent. Hic enim, cum ab ipso remedium esset petitum, quo Iphiclus impotentia posset sanari, jussit — prae se ferens, se hoc ex vulture accepisse — gladium afferre, quod erat in arbusto quodam, et detersam rubiginem in vino dare Iphiclo propinandam per decem dies, eumque dixit tum liberos procreaturum; quod cum fecisset, revera prolem procreavit (77). Itaque in hoc casu certam prognosin fecit Melam-

(77) Pherec. fragm. ed. Stürz. XXVI. p. 119. Cf. Pherec. ap. Schol. Od. Λ. 269. — Apollod. I. 9. 12. p. 75.

pus, quam eventus non fefellit. Non credo, celebratum illum medicum et vatem hanc certam prognosin pronuntiasse, quia tantam fidem medicatrici virtuti rubiginis ferri tribuebat, cujus efficacitas aeque minus atque aliorum remediorum certa potest haberi: quid etiam ejus usus per decem tantum dies continuatus juvaret, ut impotentia (quae in hoc casu ex atonia originem duxisset) tolleretur? (78) Crederem, Melampodem hic potius psychico, quam physico remedio usum fuisse, illique magis, quam huic fidem tribuisse; adeo ut usus rubiginis ad symbolica tantummodo remedia pertineret, sed tamen in hoc casu nobis alicujus sit momenti, ut conjecturam de anamnesi et ex hac de natura ipsius morbi faciamus. Crederem de morbo quodam mentis potius, quam corporis esse cogitandum. Quum enim puer adhuc esset Iphiclus, pater Phylacus eum gladio persecutus est, quia ipsum aliquid indecori facere videbat (79): puerum autem perterritum et fugientem quum non deprehendisset, gladium in arbusto (in quercu, juxta alios) impegit. Prae terrore igitur ejusque in systemate nervoso noxiis effectibus forsan in morbum mentalem incidit puer, in melancholiam scilicet, qua putavit, se generationi non aptum esse, ideoque coitu abstinuit, eodem modo, quemadmodum

(78) Sprengel, (Gesch. der Arzneyk. T. 1. p. 148. [ed. 1821.]), Hecker, (Gesch. der Heilk. 1822. Bnd. 1. p. 48 sq.), Rohatzsch, (Gesch. d. Medizin. I. p. 24.), Friedländer (Vorles. über Gesch. der Heilk. Heft. I. p. 65.), caet. omnes sanationem Iphicli rubiginis usui tribuunt.

(79) *Διὰ τὸ ἰδεῖν αὐτὸν ἄτοπόν τι ποιοῦντα.* Haec Pherecydis verba ita interpretari velim, perinde ac si illud *αὐτὸν ποιοῦντα* ad ipsum Phylacum spectet; ita autem facio ex comparatione cum Apollodori narratione, qui dicit, Phylacum in agris arietes castrantem prope Iphiclum ensem adhuc cruentum posuisse. Haec forte erat caussa irae patris, quod filius ipsum arietes castrantem (*ἄτοπόν τι ποιοῦντα*) viderat. An vero potius hoc *ἄτοπόν ποιεῖν* ad ipsum Iphiclum sit referendum, adeo ut ita sit accipiendum, ac si hic, quum puer esset, masturbationi indulsisset? Verba, non nego, suadent. Scholiastes (in Theocrit. Id. III. vs. 43.) autem rem iterum alio modo narrat: juxta hunc Phylacus, quum arborem exscinderet, pueri ibi praesentis genitalia vulneravit. Huic vulnerationi si impotentia Iphicli fuisset tribuenda, usus Martialium certe parum juvasset;

multi narrantur casus eorum, qui ex simili melancholia se mulieres putant (80). Quum vero vir auctoritate sacerdotali munitus, uti erat Melampus, qui arte vaticinandi erat insignis, quam ei serpentes puero aures lambentes tribuisse credebantur (81), quique avium sermones intelligere existimabatur (82), quum talis vir ei audacter annuntiaret, ipsum progeniem procreaturum, quod ex avibus se accepisse dixit vates, Iphiclus, morbo suo mentali per psychicum remedium sanatus, non amplius coitu abstinens progeniem procreavit: qualem exitum Melampus, auctoritate sua apud aequales fretus, audacter praedixerat. Alio modo autem egit Melampus noster, quum furorem Proetidarum caeterarumque Argivarum sanaret. De prognosi hic nihil legimus, sed eam dubiam fuisse, ex eo conficio, quod non nisi magnis praemiis expostulatis, vates curationem suscepit: quod autem ad curationem attinet, hanc ita instituit, quemadmodum optime Deus iratus (Bacchus) vel Dea irata (Juno) placari posset, sacris nempe caeremoniis. Salutari effectu etiam haec curandi methodus in puellarum mentem alienatam non caruit; nam omnes convaluerunt, una excepta natu maxima Iphinoë, quae heroïca illa medicatione impar (Melampus enim validissimos juvenes ducens cum clamore et enthusiastica saltatione illas ex montibus ad Sicyonem persecutus est), est mortua (83). Hujus mors tamen nihil auctoritati et famae

---

(80) Friedreich, Literärgeschichte der Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten, 1830. p. 34 sq. „Der fixe Wahn, Weib zu seyn, ist keine so selten vorkommende psychische Krankheit, und ist schon fast überall beöbachtet worden." Cf. exempla, quae auctor ex Dorvillio, Grubero, Gmelino, aliisque affert.

(81) Apollod. I. 9. 11. p. 48.

(82) Cf. Pherec. et Apollod. ll. cc. in annot. 77.

(83) μετήλλαξεν. Sprengel (Gesch. d. Arzneyk. T. I. p. 151. ed. 1821. Ej. Beitr. z. Gesch. d. Med. St. 2. p. 53.) hoc verbum per *reconvalescere* interpretatur. Mecum facit Stürz (fr. Pherec. p. 126.) μεταλλάσσειν sc. τὸν βιὸν per *mori* interpretans. Cum auctores de natu maxima non amplius loquantur, cumque non credendum sit, huic, etiamsi convaluisset, lustrationes non necessa-

Melampodis ademit; nam Jphianassam ex iis, quae supererant, Proetidibus unam in matrimonium accepit et, uti in capite praecedente diximus, templum ei est structum Aegistheni. — Ex duobus illis exemplis abunde patere videtur, medicos hujus aevi auctoritati suae optime consuluisse audacter exitum praedicentes, si tuto se hoc facere posse putarent, sed non temere aliquid promittentes, si prognosis dubia esset habenda; exitum autem infaustum iis non imputatum esse. — In initio igitur in uno homine omnes functiones conjunctae existimabantur, sacerdotale munus, vaticinium, ars medendi caeteraeque artes. Postea vero, quum plures scientiis operam darent, non amplius omnia munera in uno erant conjuncta, et jam apud Homerum videmus medicos non omnes simul vates: Calchas enim vates erat; Podalirius vero et Machaon medici: attamen in medicina vaticinium semper summi momenti habebatur, uti jam ex eo patet, quod in peste illa Achivorum non Podalirii et Machaonis medicamenta, sed Calchantis vaticinia in usum vocabantur; quin etiam multo recentioribus temporibus gravibus in morbis ab oraculis petebantur auxilia. Hinc diu etiam incantationes et lustrationes praecipuae medicationis partes habebantur, quas neque ii omittebant, qui, licet neque sacerdotes neque vates essent, tamen medicinam exercebant. Sic etiam apud eundem Homerum legimus, filios Autolyci vulnus Ulyssis non solum scite ligasse (*ἐπισταμένως*), sed etiam incantatione (*ἐπαοιδῇ*) sanguinem cohibuisse (84); qua ex re patet, juxta opinionem hujus aevi hominum vulneris ligationem non sufficere. Quod autem ad vates et sacerdotes attinet, horum munus Homeri tempore aeque minus semper in uno viro conjunctum fuisse videtur. Achilles enim suadet, ut *vel* aliquem vatem, *vel* sacerdotem, *vel* et somnio-

rias esse, existimasse Melampodem, verbum Graecum hic *mori* significare, veri est simile.

(84) Od. *T.* 458.

(85) Il. *A.* 62. *B.* 858. *Z.* 76. *E.* 149. *Ω.* 221. Od. *Φ.* 145.

rum interpretem consulerent (*'Αλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα, Ἢ καὶ ὀνειροπόλον*) (85): ex quo loco conficere possumus, vates, sacerdotes et somniorum interpretes, licet omnes in morbis consulerentur, tunc temporis jam, interdum saltem, a se invicem differentes personas fuisse (86). Nos autem de necessitudine agentes, quae fuit inter Deorum cultum et medicinam, primo loco exempla afferemus medicorum, qui simul vates et sacerdotes erant; dein de iis agemus, qui, licet nec vates, nec sacerdotes fuerint, tamen incantationum et lustrationum ope curabant.

§. 19.

Primo igitur loco de Orpheo agam. Fuerunt ex recentioribus vero, qui, an revera Orpheus in terris exstiterit, dubia moverunt et crediderunt, poëtas recentiori tempore mythos ad Orpheum pertinentes excogitasse. Meum certe non est, judicium proferre de quaestione, de qua tot tantique viri meruerunt, sed tamen hoc observatum volo, non ex eo probari posse, aliquem virum antiquissimo tempore non exstitisse, quod antiquissimi auctores ejus mentionem non faciant. Recentiores autem omnes uno quasi ore de Orpheo conveniunt, eumque non solum poëtam eximium, sed et vatem insignem, sacrorum rituum institutorem et medicum egregium vocant, omnibusque eorum traditionibus nobis ita Orpheus describitur, quales erant sapientes ejus aevi, quo vixisse poëta ille existimabatur; quamobrem cum traditiones illae nobis referant imaginem perfectam sapientis hujus antiquissimi temporis, de Orpheo ita agam, ac de viro, qui revera in terris degerit (87). Philochorus in libro primo de Divinatione eum

(86) De arctiori necessitudine inter sacerdotale munus et vaticinium ab una et scientiarum artiumque exercitationem ab altera parte, imprimis cf. P. v. Limburg Brouwer, Histoire de la Civil. des Grecs. Part. I. Tom. I. p. 274. sqq.

(87) P. v. Limburg Brouwer, l. c. Part. I. T. I. p. 339 sq.: — „Quoiqu'il

expressis verbis poëtam vocavit (88); et Pausanias testatur, eum magnam auctoritatem ex eo esse consecutum, quod et Deorum initia (τελετάς) et nefariorum facinorum expiationes est creditus adinvenisse; morborum etiam remedia et iratorum numinum placationes (89). His igitur testibus si fidem habemus, Orpheus erat medicus, quales in praecedente § apud veteres eos fuisse ostendi: videamus, quid alii auctores de eodem tradiderint. Diodorus, hac in re Ephorum secutus, narrat, Orpheum fuisse discipulum Dactylorum montis Idae, qui excellenti ingenio ad poësin et melodiam a natura instructus primus initiorum caeremonias et mysteria in Graeciam traduxisse dicebatur (90); mysteria illa, quae, orgia vocata, ab initio a Baccho fuisse instituta dicebantur, dein ab ipso Orpheo, qui ea Graecos docuerat, nomen habebant (91). Hac autem in re auctores conveniebant, fuisse Orpheum mysteriorum illorum institutorem, quae Graeci Orphica nominarunt, quorum initiati similes ritus observabant, quos postea Pythagorae sectatores (92). Pausaniae tempore apud Graecos multae adhuc traditiones exstiterunt de festis ab Orpheo institutis et de templis ab eodem in Deorum honorem erectis (93). Nostro scopo haec indicasse sufficiat, ut probemus, Orpheum

---

en soit, rien ne nous empêche d'examiner les traditions, qu'on trouve chez les auteurs anciens, qui se rapportent à une personne, qu'ils ont nommée Orphée, traditions, qui nous offrent un tableau détaillé des qualités, qu'on attribuoit aux premiers instituteurs des anciens Grecs. Ces traditions existent, et l'on nous permettra, j'espère, de suivre l'exemple des auteurs les plus illustres de l'antiquité en conservant le nom d'Orphée au poëte, qu'elles concernent." Cf. p. 334 sqq.

(88) Philochorus ap. Clem. Alex. Strom. I. p. 400.

(89) Paus. IX. 30.

(90) Diod. Sic. Lib. V. c. 64. (T. 1. p. 381.).

(91) Idem. Lib. III. c. 64. (T. I. p. 234.).

(92) Herod. II. 81. Paus. I. 37. Nefas erat, silaneis vestimentis essent induti.

(93) Ita apud Aeginetos festa, quae quotannis in Hecates honorem celebrabantur (Paus. II. 30.). Juxta Lacedaemonios cultum Cereris Chthoniae instituerat (Paus. III. 14.). Templum Proserpinae, quod Spartae erat, ab Orpheo esse aedificatum dixerunt (Paus. III. 13.).

ab omnibus iis, qui de eo scripserunt, sacerdotem habitum esse; et parum nobis refert, an sacra, quae instituerit, ipse invenerit, an vero a patre vel ab Aegyptiis acceperit (94). Hunc sacrorum rituum interpretem, hierophantem (ut eum vocat Clemens Alexandrinus (95)), medicinam exercuisse, non solum ex loco citato Pausaniae patet, sed etiam ex traditione, juxta quam Orpheus in Thraciis tabulis medicamenta conscripsisse credebatur, cujus mentionem facit Euripides (96); quin tanti ejus de medicamentis cognitionem fecit poëta, ut eam (l. c.) aequipararit cum iis, quae ipse Apollo Asclepiadibus patefecerat. Hoc certe ad recentiorum exaggerationes pertinet, uti etiam ea, quae dicit Tzetzes, Orpheum scilicet scivisse *universam* curationem (*σύμπασαν θεραπείαν*) (97), et Plinius, qui Orpheum primum omnium curiosius aliqua de herbis prodidisse affirmat (98). Videntur igitur recentiores eodem modo Orphei medicinam nimiis laudibus celebrasse, quemadmodum de carminum ejus mira virtute multa fabulabantur, adeo ut dicerent, eum carminibus non solum feras domuisse, sed etiam arbores ex loco deduxisse et rupes et amnium fluenta demulsisse (99), eumque filium ipsius Apollinis vel Musae Calliopes esse perhiberent (100). Attamen ex hyperbolicis artis medicae Orphei laudibus patet, eum ab

---

(94) Diod. Sic. Lib. III. c. 64. (T. I. p. 234.). Apollod. I. 3. 2. Diod. Sic. Lib. I. c. 23. Lib. IV. c. 25. (T. I. p. 26 sq. Cf. p. 271.).

(95) Clem. Alex. Coh. adv. Gentes p. 63. al. 48. „Θράκιος ἱεροφάντης καὶ ποιητὴς ἅμα."

(96) Eurip. Alcest. vs. 968 sqq. Οὐδέ τι φαρμακον Θρῄσσαις ἐν σανίσι, τὰς Ὀρφεία κατέγραψε γῆρυς." Ad has etiam spectat scholiastes in Euripidis Hecub. vs. 1267, dicens in Haemo esse ea, quae scripsit Orpheus in tabulis, de quibus poëta in Alcestide loquitur.

(97) Tzetz. Chil. II. 867.

(98) Plin. Lib. XXV. c. 2.

(99) Eratosth. Cataster. 24. Diod. Sic. Lib. IV. c. 48. (T. I. p. 271.). Paus. IX. 30. Apollon. Rhod. Argon. I. 23 sqq.

(100) Pind. Pyth. IV. 313 sq. Apollod. I. 3. 2. Eratosth. Catast. 24. Cf. Schol. in l. c. Pindari.

aequalibus eximium medicum esse habitum. Cujusmodi autem ejus medicina fuerit juxta aequalium opinionem, ex loco ex Pausania citato conficere possumus: conjungit enim auctor morborum remedia et iratorum Deorum placationes, quae simul invenisse Orpheum dicit: cum quadam veri specie statuere possumus, remedia, quae Orpheus in usum vocabat, ut morbos, quos Dii irati immiserant, tolleret, easdem Deorum placationes (τροπαὶ μηνιμάτων θεῶν) et expiationes (καθάρμοι) et initia (τελετάς) fuisse, quas simul instituerat. Eundem vero medicamentis omnino non usum fuisse, non affirmabo: forte quasdam herbas, quas in itineribus suis cognoverat, adhibuit; sed, cum vulgus morbos non nisi praeternaturalibus remediis sanari posse crederet, sanatio minus herbis illis, quam quidem incantationibus tribuebatur. De his autem nobis idem ac Clerico est observandum, scilicet, eas tum aegrotantes, tum medicum ipsum juvare. In morbis enim sanabilibus ipsa imaginationis vis remediorum effectum promovere debebat, quin etiam aliquando eorum locum tenere; in morbis vero insanabilibus erant solatium aegrotantibus (1). Curationum autem ab Orpheo institutarum nobis nulla est tradita; sunt quidem, qui traditionem de uxore Eurydice ab Orpheo carminum suavitate ex Inferis reducta (2), ita esse intelligendam dicant, ac si per incantationes conjugem gravi morbo laborantem sanasset (3); hujus rei vero certum nullum argumentum habent, sed nihil nisi conjecturas, quae modo ad aegritudinem mentalem morsui draconis similem, modo ad verum morsum serpentis spectant, quo cum mori periclitaretur, carminibus eam vivificasset Orpheus. Attamen cum de efficacitate carminum Orphei, uti mox vidimus, tot tantaque sint fabulati veteres, equidem potius cum

(1) Leclerc apud Mahon, Histoire de la Médecine clinique depuis son origine jusqu'à nos jours. *Paris*, 1804. p. 12.

(2) Diod. Sic. T. I. p. 271. Paus. IX. 30. Apollod. l. c.

(3) Sprengel, Gesch. d. Arzneyk. ed. 1821. T. I. p. 147. Tzetz. Chil. II. 244.

viro clarissimo v. Limburg Brouwer narrationem de Eurydice ab inferis carminum ope revocata ad exaggerationes referam, quas recentiores admiratione ducti de antiquissimis heroibus excogitarunt (4). Quod ad Musaeum attinet, qui a plerisque Orphei discipulus vocatur (5), eum medicinam et vaticinium exercuisse, ex iis conficere possumus, quae apud Aristophanem dicuntur (6), scilicet, Orpheum initiationes docuisse et a caedibus abstinere, Musaeum autem remedia morborum et vaticinia: etiam alii vaticinia Musaeo adscripserunt, quae juxta Herodotum tempore Onomacriti adhuc exstiterunt (7). An idem fuit sacerdos? Ex loco ex Aristophane citato tale quid non patet; Diodorus vero eum antistitem mysteriarum Eleusiniae Matris vocat (8), quod ad sacerdotale munus spectare videtur. Magis etiam hoc cum iis, quae de sapientibus hujus aevi diximus, convenit, quam, si accipiamus, Musaeum vatem quidem et medicum, sed non sacerdotem fuisse: et forsan poëta dicens, Orpheum initiationes docuisse, et Musaei tanquam initiationum doctoris mentionem non faciens, tantummodo indicare voluerit, Musaeum non, uti Orpheum, sacra *instituisse*, licet quidem eadem exercuerit. Quam ob rem cum aliqua veritatis specie statuere possumus, Musaeum aeque atque Orpheum praeceptorem, sacerdotem, vatem et medicum fuisse.

---

(4) P. v. Limburg Brouwer. o. l. Part. I. Tom. I. p. 347. annot. 59.

(5) Suid. Lexic. T. II. p. 578. ed. Küsteri, Tat. Orat. contra Graecos, c. 61. p. 134. Cf. c. 63. p. 139. — Cf. Paus. X. 7, qui dicit, Musaeum Orpheum aemulatum esse, et Diod. Sic. Lib. IV. c. 25. (T. 1. p. 271.), qui eum Orphei filium vocat. Alii contra (v. c. Clem. Alex. Strom. Lib. 1. p. 397. Potter. 143. Sylb.) eum Orphei praeceptorem vocant.

(6) Aristoph. Ran. 1032 sq.

(7) Philostr. Heroïc. p. 99. (ed. Boissonade) p. 693. (ed. Olear.). Herod. VII. 6. IX. 43.

(8) Diod. Sic. Lib. IV. c. 25.

§ 20.

De Melampode jam saepius sumus locuti: sacrorum institutor a compluribus vocatur (9), et vates fere ab omnibus (10), quem angues, ei aures lambentes vaticinandi artem docuissent (11). Angues enim juxta veterum opinionem, aures lambentes, vaticinandi artis auctores erant (12); uti etiam Scholiastes Helenum et Cassandram tradiderunt, in templo vel in luco Apollinis cum angues iis aures expurgassent, vaticinandi artis participes factos fuisse, adeo ut soli Deorum consilia audirent (13). Antiquissimorum medicorum nullius curationes tantae narrantur, quantae ipsius Melampodis; tum in Iphicli, tum in Proetidarum curatione habemus exemplum illius veteris medendi methodi, quae nitebatur vel vaticiniis, vel lustrationibus et sacrificiis. Quod autem ad Proetidarum curationem attinet, licet auctores in hujus enarratione non plane conveniant, tamen ex omnibus abunde patet, juxta omnium opiniones imprimis sacra in usum vocata fuisse: de enthusiastica saltatione, cujus mentionem facit Apollodorus, jam locuti sumus: etiam Pausanias tradit, Melampodem Proetidas ex spelunca in montibus supra Nonacrin, in qua sese abdiderant, arcanis quibusdam sacris et expiationibus extraxisse (14): addit tamen, quod apud Apollodorum non legimus, Melampodem eas Lussos compulisse,

---

(9) Bacchi sacra instituit (Herod. II. 49. Diod. Sic. Lib. I. c. 97. [T. I. p. 109.]). Cereris sacra juxta Clem. Alex. Coh. ad Gent. p. 12 sq. p. 5. Sylb. Clarissimo v. Limburg Brouwer veri simile videtur sacra Bacchi cum Cereris confudisse Clementem (vid. o. l. Part. I. T. II. p. 297. ann. 28.).

(10) Herod. II. 49. Paus. IX. 31. Theocrit. Id. III. vs. 43. Eum animalium locutionem intellexisse crediderunt. Cf. Porphyr. de abstin. III. § 3; et ea, quae apud Apollodorum (I. 9. 12. p. 75.) et Pherecydem (fragm. ed. Stürz. XXVI. p. 119.) de vulture ei remedium Iphicli indicante narrantur.

(11) Apollod. I. 9. 11. p. 48. (12) Porphyr. de Abstin. III. § 4.

(13) Schol. in Eurip. Hecub. vs. 87. Eustath. ad Il. *H.* vs. 44. p. 531.

(14) Paus. VIII. c. 18. p. 636 sq.

ibique in Dianae fano lustratas ab insania liberasse; quam ob rem hanc Dianam Hemeresiam vocarunt Clitorii. Juxta Callimachum (15) autem Proetus ob filiarum sanationem Dianae Hemeresiae templum Lussis aedificavit: quod si ita esset, certe in Dianae templo filias lustrare non potuit Melampus, quippe quod post sanationem demum fuisset aedificatum. Utraque traditio igitur non plane inter se convenit, et nititur forsan mori illi, quo virgines furore correptae post sanationem cum alia multa, tum etiam pretiosissimas vestes mulierum Dianae consecrare solebant (16); a quo recentiori more potius, quam a sanatione Proetidarum cognomen Hemeresiae (quae ἥμερον, mansuetum, facit) derivarem. Apud Pherecydem (17) de lustratione in templo Dianae nihil, verum quidem de Junone per preces et sacrificia placata legimus: adeo ut forsan recentiores, cum ipsorum tempore virgines maniacae post sanationem aliquid Dianae consecrarent, putarent Proetidas non nisi in Dianae templo lustratas sanari potuisse. Lavacrum in Anigri fonte memorat Strabo, cujus tamen ex traditionibus tantum mentionem facit: aqua Anigri enim cum esset piscibus insalubris, fabulabantur quidam, id fieri, quod nonnulli Centaurorum ab Hercule vulneratorum ibi Hydrae venenum abluerint, alii, quod Melampus ad lustrandas Proetidas ea aqua fuerit usus (18). Videmus, hanc traditionem tempore Strabonis non ab omnibus esse acceptam, sed a nonnullis tantummodo; quam ob rem ex ea non argumentum petam, quo probentur Proetidae revera Leuce vel Alpho laborasse, quia nempe aqua hujus fontis tunc temporis ἀλφοὺς δὲ καὶ λεύκας καὶ λειχῆνας sanare dicebatur: aeque minus atque ex altera ea de lustratione in Dianae templo conjecturam facere velim, Proetidas furore ute-

(15) Callim. Hymn. in Dian. vs. 235 sq.

(10) Hippocr. De his, quae ad virgines spectant. p. 563. Foës. De furore uterino loquitur auctor.

(17) Pher. fr. ed. Stürz. 26. p. 125. Cf. Schol. Homer. Odyss. O. 225.

(18) Strabo. Lib. VIII. p. 533. al. 346.

rino laborasse, propterea quod matrimonium inire recusassent. Sed, uti jam dixi, ex omnibus auctoribus illud manifestum est, per sacra et lustrationes praesertim sanationes suas perfecisse Melampodem credidisse veteres. An praeter haec etiam aliis naturalibus remediis sit usus, pro certo affirmare non ausim: ad melancholiam quidem Proetidarum morbum recentiores revocarunt, quam Hellebori ope sustulisse Melampus dicebatur (19): quam ob rem ipsum Helleborum nomen Melampodii accepisse alii dixerunt (20). Sed haec, licet fieri quidem potuerit, ut talem Melampus adhibuerit medicinam, tamen ad conjecturas pertinent, quales plurimas ii, qui de plantis scripserunt, in medium protulerunt, ut originem nonnullarum herbarum nominum ex ipsa mythologia indicarent. Dioscorides et Plinius autem non de Melampode vate cogitasse videntur, quum de caprarum pastore nomine Melampodis loquantur, qui quum Hellebori ope capras purgari vidisset, eodem remedio usus fuerit, ut Proetidas furore liberaret.

§ 21.

Quod autem ad Chironem, illustrem illum heroum educatorem, attinet, quomodo hic medicinam exercuerit, ex iis, quae de eo traduntur, pro certo quidem pronuntiari nequit, sed eum eandem per sacra et lustrationes fecisse, quemadmodum alii, qui ante eum vixerunt, medici, cum quadam veri specie conficere licet. Dicit enim auctor Titanomachiae apud Clementem Alexandrinum (21), Chironem primum universum mortalium genus ad justitiam duxisse indicatis jurisjurandi formulis, Deorum laetis sacrificiis et coeli figuris; heroes porro, quos educavit, non solum medicinam docebat, sed etiam eorum

---

(19) Galen. de atra bile cap. VII. p. 37. *E.* Class. 1. Ed. 9a. ap. Junt.
(20) Plin. XXV. 5. Dioscor. IV. c. 51.
(21) Clem. Alex. Strom. Lib. I. c. 15. p. 360. al. 132.

mores emolliebat, artemque musicam cum iis communicabat ipse, qui poëta fuisse dicebatur (22); eundem vaticinandi arte non caruisse, ex eo patet, quod juxta Pindarum ipsi Apollini vaticinatus est Chiron, filium hujus Aristaeum ab Horis et Gaea educatum iri, eumque immortalem futurum et vocatum Jovem et Apollinem et Agreum et Nomium et Aristaeum (23). Erat igitur Chiron sapiens, quemadmodum Orpheus, Melampus, aliique; scilicet non solum medicinam exercebat, sed sacra tractabat, carmina componebat, et vaticinia edebat: quae cum ita sint, veri est simile, ejus medicinam sacris et incantationibus constitisse, quibus illorum ars medica etiam nitebatur. Alterum argumentum, quo ejusmodi fuisse Chironis medicinam probem, ipse peto ex medendi ratione, qua sint usi discipuli ejus, qui tanquam medici insignes Graecis habebantur. Mox de Aesculapio, celeberrimo ejus discipulo, loquar: sed hic liceat verbo mentionem facere Aristaei. Is, quum, uti fabulabantur veteres, ab Apolline patre ad Chironem educandus adductus esset et a Musis artem medendi et divinandi didicisset (24), et ad Bacchum profectus orgiorum particeps esset factus, imprimis meruit de Bacchantium vulneribus curandis, quae non solum extractione teli, vel resectione et sanguinis expressione herbisque cum melle imponendis curavit, sed etiam hymnis et incantationibus (25).

---

(22) Peleus ei Achillem educandum adduxit, ne disceret mores malorum virorum (Apollod. III. 13. 6. p. 348. Eurip. Iphig. in Aul. vs. 709.), quare ipse Achilles dicit, se a Chirone educatum habere simplices mores (Eurip. Iphig. in Aul. vs. 926. Cf. Il. Λ vs. 831.). De musica, quam docebat heroës cf. Philostrati Heroïca: χείρων, p. 140. ed. Boissonade. Juxta auctorem Orphei Argonaut. vs. 4[illegible] Chiron carmine Centaurorum pugnam celebravit. Cf. Eustath. ad Il. Δ. vs. 2[illegible] p. 353, ubi artis lyricae inventor dicitur.

(23) Pind. Pyth. IX. vs. 104.

(24) Apollon. Rhod. Argon. Lib. II. vs. 511 sq. Cf. 508.

(25) Nonn. Dionys. Lib. XVII. vs. 357 sqq.:

„Ἄλλους δ' οὐταμένους ἰήσατο Φοιβάδι φωνῇ
φρικτὸν ὑποτρύζων πολυώνυμον ὕμνον ἀοιδῆς."

ırtem autem filii Actaeonis dictus est in Ceon insulam ɘ, ibique, cum totam Graeciam pestis de popularetur, pro mnium Graecorum sacrificasse, precibusque facile re- Etesias ventos, qui eo tempore non spirabant (26). ıpertum est, hic eandem per incantationes et sacri- dicinam factam fuisse, cujus jam saepius mentionem quam quum ita discipulus exercuerit, non est, ɔn credamus, eadem curandi methodo etiam magistrum n usum fuisse, quem mox sacra fecisse et vatem ·obavimus (27).

§ 22.

:ctemus curandi methodum, qua tempore belli Trojani ɔmerum Graeci usi sunt, scilicet per incantationes (28)

D Sɪc. Lib. IV. c. 82. (T. I. p. 325. (Cf. Cʟᴇᴍ. Aʟᴇx. Strom. VI. p. ʟᴏɴ. Rʜᴏᴅ. Argon II. 525. sqq. Ab hoc inde tempore Cei diligenter or- ılae — quo tempore Etesiae incidere solebant — quotannis observabant, ciebant conjecturamque capiebant, salubrisne an pestilens annus futurus .ʟ. Rʜᴏᴅ. II. 528. Schol. in Aᴘᴏʟʟ. Rʜᴏᴅ. II. 500. Cɪc. de Divin. 57.

staeum non ad eos recensui, qui propter ea, quae de medicina meruerant, ıores acceperunt; divinos honores enim potius ob ea, quae de agricultura cepisse videtur. Ita etiam Mᴜ̈ʟʟᴇʀ (Gesch. Hell. Stäm. und Städt Bnd. ı eum pecorum, apium, ferarum, olivarum et vitium culturae et agro- itatis Deum vocat: eum vero antiquiorem habet idem, quam ipsam ma- ıen, Deumque antiquum Arcadiae; ita etiam Sᴛᴜʜʀ (o. c. p. 144.) eum n Deum habet, quam Apollinem Delium et Delphicum, cujus filius re- mpore est vocatus. Haec, an se ita, an vero aliter habeant, dijudica- hujus loci. Sed tamen, etiamsi heroem accipiamus Aristaeum, imprimis :a, quae ad agriculturam pertinent, laudibus celebrata videntur. Cf. Dɪᴏᴅ. IV. c. 81. (Tom. I. p. 324.) Nᴏɴɴ. Dionys. V. vs. 243. XIII. 253. spectant nomina ἀγρεύς et νόμιος: horum originem contra Scholias- Aᴘᴏʟʟ. Rʜᴏᴅ. II. vs. 509.) ex eo petit, quod in agro cum Cyrene con- Apollo. Idem (Schol. in vs. 500.) dicit, Ceos eum non solum propter m apium curae et olivarum culturae, sed etiam, quod Etesias revocaverat, nores tribuisse.

. *T.* vs. 455.

et simplicissima medicamina, quorum apud eundem est mén t quaeque ex vino Pramnio, cui caseus caprinus rasus et far alba immiscebatur, constabant (29), non potest quin, vel dalirium et Machaonem, aliosque, qui tunc temporis me cinam faciebant, Aesculapii medicinam parum imitatos fui pronuntiemus, vel Hyginum vituperemus, Aesculapium m dicinae clinicae institutorem habentem, id est, ejus, quae aegrotantium lectos exerceter et opposita est illi, quae templis fiebat (30). Equidem in dijudicanda medendi m thodo, quam in usum vocavit Aesculapius, Hyginum, quip recentiorem auctorem, non magni aestimo; sed majorem fide Homero tribuo, qui, cum fere ubique Podalirium et Machao nem Aesculapii medici egregii filios vocet, indicare videtur haud minorem ipsorum famae partem ex eo consecutos ess Podalirium et Machaonem, quod filii erant medici illius, q ab aequalibus illustrissimus habebatur, quodque eandem c randi methodum adhibebant, atque ipse pater. Quod si i fuerit, ipsi Podalirius et Machaon certe eorumque aequal magni fecerunt Aesculapium ejusque medicinam, eamqu quantum possent, quam maxime sunt imitati: quamobrem horum curandi methodo tuto aliquid conficiendum esse cre de ratione, qua ipse Aesculapius medicinam fecerit. Medic menta autem, quibus tunc temporis utebantur medici, era simplicissima, ex plantis earumque radicibus constantia (31 hoc Plutarchi de veteri medicina testimonium optime e Iliade confirmatur (32). Et quemadmodum filii Autolyci sa guinem e vulnere Ulyssis fluentem incantatione cohibuerunt ita Aesculapii filii non solum medicamentis, sed etiam my teriosis caeremoniis Philoctetem vulneratum curasse dicur

---

(29) Il. *Λ.* vs. 638.
(30) Hygin. Fab. 274. p. 201. ed. Münckeb.
(31) Plutarch. Sympos. Lib. II. qu. 1. p. 646 sq.
(32) Il. *Λ.* vs. 638. vs. 845.

33). Hanc medendi methodum a quo nisi a patre acceìt? Idque praesertim quum haec Podalirii et Machaonis nque aequalium medicina optime conveniat cum iis, quae so Aesculapio dicit Pindarus, scilicet hunc non solum itibus potionibus et sectionibus alios curasse, sed etiam bus incantationibus: quod autem ad medicamina attinet, membris undique circumnexisse dicitur Aesculapius (34), videntur intelligenda per amuleta (35). Jam Scholiastes ıvit convenientiam inter hanc Aesculapii curandi metho- et medicinam juxta Homerum: quas ob caussas majorem Pindari verbis tribuo, quam Hygini. Nimia igitur est quam auctor Isagoges ad scripta Galeni Aesculapio tri- hunc solum scilicet perfectam medicinam et omnibus ›us absolutam, quae revera est divina, invenisse (36), potius Hippocrati, quam Aesculapio convenit. Praeter tationes et amuleta remediis idem certe usus est: Pinda- altem de potionibus etiam loquitur, et apud Homerum eneus dicit medicum esse virum multis aliis aequiparan- sagittis excidendis, mitibusque pharmacis inspergendis (37):

Alii Machaonem, alii Podalirium hanc sanationem perfecisse dicunt, sed de ritibus religiosis conveniunt. Dionysius (Schol. Pind. Pyth. I. vs. 109.) qui de Machaone hanc curationem perficiente loquitur, dicit, χρησμοῖς ἰλωνος ἀπολουσαμένον τὸν Φιλοκτήτην αφυπνῶσαι. Cf. Tzetz. ·ophr. Alex. vs. 911. Qui Podalirium Philoctetem sanasse, tradunt, eum non medicamenta vulneri illevisse, ajunt, sed eundem etiam pie patris nomen se. (Quint. Calab. Lib. IX. vs. 460 sqq.).

Pind. Pyth. III. vs. 91 sq. Cf. Schol.

Τοὺς μὲν μαλακαῖς
'Επαοιδαῖς ἀμφέπων,
Τοὺς δὲ προσανέα πί-
νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς
ἔστασεν ὀρθούς.

Cf. P. v. Limburg Brouwer. o. c. P. I. T. 1. p. 289.

Galen. Isag. Op. ed. ap. Junt. 9a. p. 51. G.

Il. Λ. vs. 514.

sed vulgus incantationes praecipuam medicinae partem habebat. Aesculapium artis gymnasticae institutorem fuisse, ex loco Galeni Libri primi de sanitate tuenda, ubi dicitur Aesculapius quosdam venari, equitare atque armatos exercitari jussisse (38) confici nequit: jam dixit Schulzius, locum illum minus spectare ad ea, quae Aesculapius ipse inter homines versatus fecerit, quamquidem ad ea, quae callidi sacerdotes Pergameni, Aesculapii nomine, memoria Galeni fecerunt (39); et ipsa verba Galeni indicant, Schulzium merito dubitasse: loquitur enim de Aesculapio patrio Deo (*ὁ πατριὸς Θεὸς ἡμῶν Ἀσκληπιὸς*), id est, de eo, qui Pergami, Galeni loco natali, colebatur; neque dicit, Aesculapium ipsum in terris degentem exercitationes istas commendasse, sed nomine ejus sacerdotes, postquam ipse jam diu in Deorum numerum fuit receptus. Equidem igitur Aesculapii medicinam non adeo ab antiquiori diversam habeo, neque credo eundem ob eximiam curandi methodum divinos honores accepisse, sed potius ob felicissimas sanationes, quibus etiamnum potissimum de medicorum sollertia judicium profertur. Diu medicina illa, quae per incantationes fiebat, duravit, adeo ut sectatores Pythagorae, qui praeter medicinam etiam musicam et artem divinandi excolebant, morbos etiam incantationibus curarent, neque animi solum, sed etiam corporis aegritudines (40).

§ 13.

Aesculapius ejusque filii igitur nobis exempla sunt eorum, qui, licet medicinam exercuerint, tamen neque vates, neque sacerdotes erant, quin etiam Podalirius et Machaon cum Grae-

---

(38) Galen. de Sanit. tuend. Lib. I. c. VIII. p. 66. G. Class, II. ed. 9. ap. Junt. p. 131. D. ed. Gesner.

(39) Schulz. Hist. Med. Per. I. Sect. II. cap. II. §. 17. p. 85.

(40) Jamblich. de vit. Pythag. cap. XXIX. p. 163. sq. al. 139. sq. cap. XXV. p. 110. sq. al. 92. sq. Porphyr. de vit. Pythag. p. 30. p. 33. sq.

s ante Trojam pugnabant. Cum vero etiam illi, licet sacerdc-s non fuerint, tamen incantationibus, ut aegrotantes sanant, sint usi, patet, quanti illa, quae per sacra et incanta-ones fiebat, medicina existimaretur. Quae quum ita sint, rte quis cogitabit, post Aesculapium hanc unicam inter Deo-m cultum et medicinam exstitisse necessitudinem, quod rationes per mysteriosos ritus fieri credebantur, neque am-ius sacerdotes, vatesque ipsos medicinam exercuisse: quae ero sententia non comprobatur historia. Nam non solum ud Homerum de peste Calchas vates consulebatur, sed re-entiori etiam tempore in gravibus morbis ab oraculis auxilia etebantur. Omnia fere exempla, quae in primo capite par-s secundae hujus dissertationis citavi, ut probarem morbos eorum poenas habuisse veteres, simul nobis certissima argu-enta praebent, quibus probentur oracula consuli consuevisse e iis, quae essent facienda, ut a gravibus istis calamitatibus iberarentur (41); tempore etiam belli Peloponnesiaci oraculum pollinis, quod Delphis erat, consuluerunt Athenienses (42), t tamdiu adhuc mos ille perduravit, ut Plinius suo etiam empore de oraculis loquatur, a quibus multifariam auxilium etebatur. Pausanias autem mentionem facit fontis ad fanum ereris prope urbem Patras in Achaja, ubi erat oraculum veri-dicum, quod de morborum exitu consulebatur, quodque tunc emporis magnam adhuc habebat auctoritatem (43). Quod ad

(41) Incolae urbis Teuthidis v. c. oraculi monitu simulacrum Minervae erexe-ant, ut a peste liberarentur (Paus. VIII. 28.) Alyattes Lydorum rex legatos Delphos isit, ut sciret, qua ratione morbo suo posset sanari (Herod. Lib. I. c. 19. cf. 2.) Calydonii oraculum Dodonae consuluerunt, quum vesania multi laborarent. Paus. VII. 21.) Eurypylus oraculum Delphis consuluit, quum insaniret (Paus. VII. 9.). Plura exempla addere possem: sed ut argumentum probetur, haec sufficere credo.

(42) Paus. I. 3. Thucyd. Lib. II. c. 47. Juxta hunc auctorem tamen oraculi esponsa aeque minus, quam hominum auxilia juvabant.

(43) Paus. VII. 21. Ita consulebatur oraculum: speculum tenui funiculo suspen-um demittebant, ita librahtes, ut in fonte omnino non mergeretur, sed imo ambi-u summam aquam contingeret. Exinde ubi odores adolevissent et rite Deam pre-

sacerdotes attinet, postquam per totam Graeciam ubique templa in honorem Aesculapii fuerunt erecta, omnis medicina imprimis Asclepiadibus, ejus sacerdotibus, per multa saecula erat tradita, donec philosophi arti nostrae operam dare coeperint. Caeterum Asclepiadum medicina non ita exercebatur, ut Deus Aesculapius ipse placari deberet, quemadmodum alii Dii, qui ipsi morbos immiserant, erant placandi: quare enim placaretur Aesculapius, qui ab aegrotantibus non tanquam iratus et morbos immittens habebatur, sed potius tanquam Deus amicissimus, qui ipse indicaret, qua ratione istae ab aliis Diis immissae aegritudines tollerentur? Forsan in initio tota Asclepiadum medicina aeque atque antiqua medicina expiationibus niti credebatur, quae qua ratione essent instituendae, omnium optime hic Deus amicissimus, quippe qui arctissima cum caeteris Diis uteretur consuetudine, indicare posset. De medicina autem Asclepiadum, qualem eam in templis exercebant, in sequenti capite agam.

CAPUT II.

De medicina, quae in templis exercebatur.

§ 24.

Quanto in honore apud Graecos Aesculapius haberetur, optime confici potest tum ex ingenti numero templorum, quae ei erant structa, tum ex religione, qua ipsa haec templa gaudebant, tum denique ex hominum ad eadem concursu,

cati fuissent, inspiciebant in speculum; et ex ejus imaginibus, periturusne an victurus aeger esset, divinabant.

it in iis morbis liberarentur. Quod ad templorum numerum ttinet, cum Schulzio vero simile habemus, nullam magnam rbem in Graecia fuisse, quae non unum alterumve habuerit: lem Schulzius, licet, uti ipse ait, pleraque monumenta nterciderint, plus quam sexaginta Aesculapii templa enumeat (44). Horum alia majorem, alia minorem famam habeant, alia antiquiori, alia recentiori tempore erant exstructa. ntiquissimum et celeberrimum erat juxta Strabonem Aesculpii fanum, quod erat Triccae in Thessalia (45); sed si fidem abere liceat Pausaniae dicenti, Alexanorem, Machaonis filium, esculapii fanum, quod Titane in Peloponneso erat, condiisse (46), cum doctissimo Hecker credere possumus, templum lud Titanense primum fuisse, quod in Aesculapii honoem aedificatum sit (47), praesertim cum, juxta Homerum, mpore belli Trojani, quo Machaon et Podalirius jam dulti erant, Aesculapius nondum Deus haberetur. Ad ntiquissima pertinet etiam templum, quod Epidauri erat; erte ex hac urbe ad alia loca Aesculapii cultus postea est llatus, v. c. Pergamum (48), Sicyonem (49) ad aliasque rbes. Templum illud Epidaurium diu celeberrimum fuit, leo ut urbem ipsam ob fanum claram esse dicat Strabo (50); : ut undique eo aegrotantes convenirent. Dein templum, uod Coö erat, majorem famam consecutum esse videtur, erte in Coön insulam ad Aesculapium legatos misisse Epidauios, tradit Pausanias (51): et Coörum templum celeberriaum fuisse, auctor est Strabo (52). Deus, qui tot tantaque empla per totam Graeciam habebat, etiam summa religione olebatur (53), ejusque templa sanctissima habebantur; uni-

(44) Scholz. Hist. Medicinae Period. I. Sect. II. cap. IV. § 6. p. 117 sqq.
(45) Strabo. Lib. IX. p. 669. *B*. al. 437.
(46) Paus. II. c. 11.
(47) Hecker, Geschichte der Heilk. Bnd. I. *Berlin*. 1822. p. 55.
(48) Paus. II. 26.
(49) Paus. II. 10.
(50) Strabo. Lib. VIII. p. 575. *A*. al. p. 374.
(51) Paus. III. 23.
(52) Strabo. Lib. XIV. p. 971. C. al. p. 657.
(53) Paus. X. 32.

verse omnia templa, in quibus sanationes fieri credebantur, summo in honore erant: sic (l. c.) mentio fit penetralis (ἄδυτον) Isidi sacri, in cujus vicinitate habitare nefas erat, et quo aditus nemini licebat, nisi quem ipsa Isis per somniorum visa advocasset. Idem valet de Aesculapii templo, quod erat Epidauri, ad quod iis, qui non initiati erant, accedere non licebat, nisi praemissis lustrationibus; quin intra ambitum luci hoc templum cingentis nefas erat mori quemquam aut nasci (54). Tota Epidauri regio Aesculapio erat sacra, eaque prope Asopum, ubi fanum Aesculapii erat, hyperteleaton (Ὑπερτελέατον), quasi hic mysteria sacerrima celebrarentur, vocabatur (55). Maxima semper erat copia hominum, qui ad Aesculapii templa affluebant, imprimis ad ea, quae celeberrima habebantur. Sic Aesculapius, qui ad Tithoream templum habebat, non solum a Tithorensibus, sed omnino a caeteris Phocensibus magna cum religione colebatur: ad templum Lebenaeum autem universam Cretam, et ad Pergamenum universam Asiam confluxisse, dicit Philostratus (56). Quanta fama Asclepiea apud Graecos fruerentur, optime ex orationibus sacris ab Aristide conscriptis conficere possumus: in his enim ubivis manifestissima documenta videmus, quanti ipse Aristides Asclepiades faceret, et quantam fidem tribueret iis, quae praescribebant, licet aliquando fuerint stultissima: de aliorum fide quidem non directo modo loquitur Aristides, sed cum ipse, fere ducentis post Christum natum annis vivens, cum ars nostra jam magis elaborari coepisset, tanti Asclepiadum medicinam faceret, ut horum prae Hippocraticorum auxiliis semper praeferret (57), non potest, quin credamus, magnam ante eum apud Graecos Asclepiadum famam fuisse: unde enim, nisi ab iis, quas felicissimas sanationes fecisse crede-

(54) Paus. II. 26, 27. (55) Idem. III. 22.

(56) Philostrat. vit. Apollon. Lib. IV. c. 34. p. 174 ed. Olear.

(57) Aristid. Orat. sacr. III. p. 520, 538, 549 sq. etc.

batur Aesculapius, originem duxisset ingens illa Aristidis aestimatio?

§ 25.

Juxta Plinium Romani ideo extra urbem in insula templum Aesculapii struxerunt, quia artem ipsam medicam damnabant (58). Aliter vero hac de re judicat Plutarchus, caussam hujus rei esse asserens, quod loca extra urbes salubriora sunt, quam intra urbes, vel quod etiam Epidauri templum extra urbem erat aedificatum; nam etiam Graeci in locis puris et excelsis Asclepiea habebant (59). Et profecto plurima Aesculapii templa situm sanissimum habebant; in calido Graecorum climate maris et montium propinquitas ad locorum puritatem et salubritatem quam maxime conferre debebat: celeberrimum illud Epidaurium fanum autem a mari non longe distabat et ab omnibus partibus erat montibus circumdatum (60): ad imum collem illud, quod erat Megalopoli (61) et in monte Ilio prope flumen, dulcem potantibus aquam fundens, incolae Lacedaemoniorum urbis Lantis Aesculapii templum struxerant (62). Eleorum autem regio, in qua urbs Cyllene, ubi erat etiam templum Aesculapii, erat fertilissima, ad mare sita (63): Coön denique insulam frugum feracem et Coörum urbem appellentibus conspectu jucundissimam vocat Strabo (64). Quae quum ita sint, fidem negare non possumus Aristidi, dicenti pulchriorem alterum locum inveniri non posse, quam ubi templum Aesculapii erat structum (65); licet caeteroquin cautos nos esse oporteat, ne omnia, quae mira de Asclepieis

---

(58) Plin. Lib. XXIX. c. 1.
(59) Plut. Quaest. Roman. p. 286.
(60) Paus. II. c. 27. in. Cf. Strabo. Lib. VIII. p. 575. B. al. p. 374.
(61) Paus. VIII. c. 32.
(62) Paus. III. c. 24.
(63) Paus. VI. c. 26.
(64) Strabo. Lib. XIV. p. 971. *B*. al. p. 657. „ἰδέσθαι ἡδίστη."
(65) Aristid. Orat. T. I. p. 589 sq.

et Asclepiadibus narrat hic enthusiasticus medicorum Dei laudator,: absque accuratiori examine pro veris habeamus. Prae contemtu igitur extra urbem Romani Aesculapii templum non struxerunt, sed ex imitatione potius Graecorum, qui pleraque hujus Dei templa extra urbes habebant, quia illic aër erat salubrior. Et ubinam potius delubra Dei sanitatis struerent, quam in locis, quae aëris sui puritate et situs jucunditate corpori alacritatem et animo hilaritatem tribuere valebant? Convenit cum hoc Graecorum more etiam ille, quo prope fontes salubres vel fluvios sanissimos templa hujus Dei plerumque aedificarunt. De Lacedaemoniorum templo in monte Ilio prope flumen, dulcem aquam fundens, jam locutus sum: plura exempla in Pausaniae Graeciae descriptione traduntur. Sic Aesculapii templum prope urbem Arcadicam Thelpusam ad ripam erat fluminis Ladonis, cujus aqua pulchritudine omnibus Graeciae fluminibus antecellebat (66): prope fontem, cujus aqua potu erat suavis Messeniorum ad Coronen aedificatum templum erat situm (67); sic etiam Achajorum prope urbem Mysaeum et Corinthiacorum templum prope fontes erant (68). Quammaxime laudibus celebravit fontem illum, qui erat prope templum Pergamenum, idem, quem mox citavi, Aristides (69)." Pulchritudinem ejus aquae — ita auctor — nulla declarabit oratio; est tenuissima, levissima et mitissima et maxime potabilis et perennis, ad cujus potationem vinum non desideres; neque solummodo ejus potus, sed etiam lavacrum est tutissimum et jucundissimum: aestate est aqua frigidissima, hyeme clementissima, praesentis temporis moles-

(66) Paus. VIII. 25. Cf. c. 20. ubi vocatur haec aqua ὕδωρ κάλλιστον.

(67) Paus. IV. 34.

(68) Paus. II. 4. VII. 27. Minus recte mihi videtur Sprengel (Gesch. der Arzneyk. T. I. p. 201. ed. 1821) templum salutis (Σωτηρίας;), quod Aegii prope fontem aquae perennis et bibentibus suavissimae erat situm (Paus. VII. 24.) templum sanitatis vocare.

(69) Aristid. Orat. in Puteum Aesculapii (Ej. Orat. T. I. p. 440 sqq.)

tias mitigans et apud multos pharmaci locum obtinet: multi ex ejus lavacro visum recuperarunt: multi pectoris sanitatem receperunt et anhelitu sunt curati, multorum pedes et membra correcta; quid, quod ex muto quidam eloquens est factus, quemadmodum, qui de sacris biberunt fontibus, vaticinari solent. Ejus potus est instar nectaris. » — Ita bonus Aristides. Ex verbis ejus tamen abunde elucet, non sine caussa prope tales fontes aedificasse templa Asclepiades; nam (p. 443) »aqua," inquit, »vel a platano fluit, vel, si mavis, quod quidem pulchrius est et sanctius, ***ab iis, quibus insistit templum, fundamentis, quo fit, ut omnes credant, e salubri ac salutari loco aquam fluere, quippe quae a templo et servatoris pedibus proficiscatur.***" Ipsi Deo igitur salutares aquae vires adscribebantur, eaedemque quammaxime famam Dei templi augerent, necesse erat. Nonnulli fontes erant calidi et virtute quadam minerali praediti. Ejusmodi erant illi, qui Helenae balneae dicti Cenchreae ad Corinthum prope Aesculapii templum erant, quorum aqua erat salsa et tepida (70); uti etiam illi, qui Athenis prope ejusdem templum erant, ad quos respicit Xenophon (71). Quin fuerunt, qui crediderunt, Asclepiea in initio nil fuisse, nisi balnea salutaria; cujus opinionis argumentum etiam petiverunt ex altercatione illa, quam cum Phoenice habuit Pausanias, de qua jam in capite tertio sum locutus (72).

§ 26.

Cum nostro scopo non convenit, fuse de omnibus, quae Aesculapio tribuebantur, insignibus agere, verum de iis

(70) Paus. II. 2.

(71) Xenoph. Memor. Socrat. III. 13, »Πότερον δὲ τὸ παρὰ σοὶ ὕδωρ θερμότερον πιεῖν ἐστιν ἢ τὸ ἐν Ἀσκληπιοῦ;"

(72) Sickler, Die Hierogl. in p. Myth. d. Aescul. p. 12.

tantummodo, quae arctiori vinculo cum ipsa medicina, qualis in templis exercebatur, erant conjuncta. Sufficiat igitur indicasse, in plerisque nummis et monumentis Deum nostrum offendi effigie senis barbati cum angue baculo vel arbori circumdato (73): Epidauri in solio sedebat scipionem tenens, altera manu draconis caput premente (74): Tithoreae etiam ad dextrum ejus latus erat lectus collocatus (75): capiti saepe laurea serta erat imposita, vel corona radiata: ad pedes erat gallus, vel etiam noctua (76). Interdum tamen etiam imberbis et tanquam puer effingebatur, uti Corinthi (77), ad Ladon fluvium (78) et Megalopoli (79). Ad constantissima Aesculapii symbola angues pertinent, quos, quum in medicina Asclepiadum magnas partes agerent, silentio praeterire nequeo. Tam arcta erat necessitudo inter Aesculapii cultum et serpentes, ut, siquando ad alios locos colonias mitterent sacerdotes, ut ibi Asclepiea fundarent, symbolum illud semper secum ducerent. Sic Epidaurus Limera Epidauriorum erat colonia; quorum legati quum ad Coön insulam missi ad illam agri Laconici oram appulissent, somniis quibusdam moniti sedem eo in loco statuerunt; anguis autem, quem secum Epidauro abduxerant, e navi elapsus non procul a mari se in cavernam demersisse dicebatur: quare et hoc prodigio et iis, quae in somniis viderant, adducti, ibi constiterunt legati (80). Mirum in. modum haec narratio convenit cum iis, quae de ratione, qua primum Aesculapii cultus Romam est allatus, narrantur. Quum enim civitas gravi pestilentia laboraret, Epidaurum legati sunt missi, qui anguem, qui se in navem eorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere; eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco aedes Aescu-

(73) Montfaucon L'antiquité expliquée. T. I. P. 1. tab. 185, 186, 187.

(74) Paus. II. 27.

(75) Idem. X. 32.

(76) Aristid. Orat. Vol. I. p. 497. Montfaucon. l. c. T. I. P. 2. p. 286 sq. tab. 187. No. 3.

(77) Paus. II. 10.

(78) Idem. VIII. 25.

(79) Idem. VIII. 32.

(80) Idem. III. 23.

i consecrata est (81). Ita etiam Sicyonenses tradebant,
culapium, draconis induta specie, Epidauro mulorum bi-
ad se esse deportatum (82). Quae quum ita essent, mi-
ı non est, inpostores serpentes adhibuisse, ut populus
leret, ipsos esse sacerdotes Dei Aesculapii ejusque oracula
·e; uti fecit pseudomantis ille Alexander, qui, quum anguem
iis, qui prope Pellam in Macedonia frequenter occurrunt,
sset, prae se tulit, hoc animal esse Aesculapium ipsum,
ex ovo ad templum hujus Dei prodiisset (83). In medi-
ι autem, quae in templis exercebatur, magnas partes age-
t angues, quod v. c. optime patet ex narratione, quam
d Aristophanem facit servus Carion rationis, qua Plutus
ıs coecitate erat sanatus: angues enim hujus palpebras
umlingebant (84). In Epidauriorum regione imprimis
ıs quoddam anguium reperiebatur, qui, fulvo colore,
ıinibusque cicures, prae caeteris omnibus Aesculapio sacri
ebantur (85). Aelianus hunc anguem ὄφιν παρεῖαν vocans,
describsit: »Est igneo colore, acerrimo oculorum sensu et
o ore: nihil mordendo nocet, sed mitis est, unde huma-
imo Deorum Aesculapio ipsum consecrarunt et ejus mi-
rum esse praedicarunt (86).” Aesculapii serpentem des-
it Nicander caeruleum, forma praestantem, cui dentes
emino agmine sunt juncti, oculos magnos et supercilia
ısa habentem cum barba flava: ejus morsus non laedit (87)·
descriptione patet, non de iisdem anguium speciebus hic
nonem esse, quare et Sprengel inter utramque distinguit,
uem ex Aeliani descriptione, qui Epidauri alebatur, Colu-

1) Livii Epit. in Lib. XI. Cf. Valer. Max. I. 8. 2.
2) Paus. II. 10.
3) Lucian. Alexand. Pseudom. c. 15. Cf. c. 26. (T. II. p. 222. p. 234.),
4) Aristoph. Plut. vs. 736. (85) Paus. II. 28.
6) Aelian. Hist. Animal. Lib. VIII. c. 12. p. 463. Gronov.
7) Nicand. Theriac. vs. 438.

brem Aesculapii vocans, alterum Colubrem Cerastem (88). Hunc etiam Sextus Empiricus memorat, eumque vocat Cerastem Cornigerum (κεράστην δικέρατον), ejusque effigiem adjunxit Fabritius cornibus instructi (89). Jam inquiramus, quaenam fuerit illa singularis ratio inter Aesculapii cultum et angues; qua de re ab omni tempore varias opiniones habuerunt viri docti. Fuerunt, qui crediderunt, ad gentes manasse eam opinionem, qua Aesculapio suo serpentem effingerent, ex aeneo serpente, salutis caussa in solitudine Israëlitis erecto; et quibus videtur perticam illam, cui Moses imposuit serpentem, baculus huic Deo semper tributus, et 'Ράβδου ανάληψις, festum ejus apud Coös, umbram ὑψώσεως (Joan. III. 14.) referre (90). Cellarius, qui iis, qui hoc crediderunt, assentiri videtur, hujus opinionis argumentum affert, quod plerique alii gentilium ritus ab Judaeorum religione originem aut occasionem habuerint: quod argumentum quum ipsum argumento egeat, quod vereor, ne aegre ex historia possit deduci, ipsam opinionem, quae ei nititur, non refutabo. Fuerunt tamen et recentiores, qui licet non ab *Hebraeis* gentes Aesculapii serpentem accepisse dicant, tamen contendunt, Aesculapii, simul et anguis ejus, prima vestigia in Oriente re-

---

(88) SPRENGEL, Gesch. der Arzneyk. T. 1. p. 207 sq. (ed. 1821.).

(89) SEXT. EMPIR. adv. Gramm. Lib. I. c. 10. p. 264. ed. FABRITII. Cf. Fabrit. a. h. l. Differt itaque ab hoc Ceraste serpens ille, cujus imaginem SCHULZIUS (Histor. Medic. Per. I. Sect. II. cap. IV. § 22. p. 136.) descriptioni suae apponi curavit, in quo barba quidem; sed non cornua observantur. Est haec Schulzii imago desumta ex NESSELII Catalogo Augustissimae bibliothecae Caesareae Vindobonensis Part. III. tab. 50: an apud Nesselium sit cornubus instructus, necne, dicere nequeo, quum opus laudatum inspicere mihi non contigerit. BÖTTIGER autem (Der Aeskulapiusdienst auf der Tiberinsel, Medizinische Schlangen-Caukeley. Ann. I. in SPRENGEL's Beiträge z. Gesch. d. Med. St. II. p. 181.) hunc serpentem Schulzium dicit pessime in aere effingi curasse (sehr fehlerhaft hat in Kupfer stechen lassen). Caeterum Cerastae descriptio vid. apud AËTIUM Tetrabibl. IV. Lib. I. c. 21

(90) CELLARIUS. Orig. et Antiq. Med. *Jenae*, 1701. c. II. § 7. p. 12. Etiam FRID. BOERNERI, Noctes Guelphicae. 1755. p. 262. in annot.

eriri (91). Quod Aesculapium ipsum attinet, jam supra dixi on veri esse simile, prima vestigia ejus cultus in Oriente sse quaerenda: si autem ipse Deus ejusque cultus non ex)riente ad Graecos pervenerit, non temere animal illud, uod in hoc cultu praecipuas egit partes, exinde est deducenum: idque eo minus, quum non solum Aesculapio, sed ultis aliis numinibus, uti Cereri, Baccho, Apollini, Minerae, Mercurio et heroibus serpens esset sacer (92); adeoque ullam caussam videam, quare, si Aesculapii angui Orientaım originem adscribamus, non idem de omnibus aliis Diis ronuntiemus. Dicit autem vir Clarissimus van Limburg Brouer, non semper in veterum cultu serpentem idem significare, verum nihil insipidius esse, quam illorum opinionem, ui in omnibus serpentibus symbolum aliquod Orientale videant: eumque, ait, forsan ex antiquissimo Fetismo in cultu emansisse (93). Haec ultima observatio quidem, uti ipse obrvat vir Clarissimus, quaestionem potius evitat, quam solit; attamen nobis est alicujus momenti, ne temere anguem esculapii ex Oriente deducamus, sed potius ex eodem Fetisıo, ex quo etiam alia numina hoc symbolum accepisse vientur. Juxta Böttigerum (94) anguis, cui apud tot populos ivini aliquid tribuebatur, universe vel mali principii symolum erat, vel numinis alicujus boni. Hinc tanquam symolum mali principii Evam in Paradiso ad peccandum contra ei voluntatem perduxisse dicitur, et mali principium in ıythologia Zoroastri, quod Ahrimanes refert, serpente sig-

(91) Sickler, die Hieroglyphen in den Mythus des Aesculapius. p. 2.

(92) P. v. Limburg Brouwer, Hist. d. l. Civil. des Grecs. Part. II. Tom. IV. . 244. et auctores ibi laudati Cf. Schol. in Aristoph. Plut. vs. 733: "Κοινῶς ἐν πᾶσι τοῖς ἥρωσι δράκοντες παρετίθεντο, ἐξαιρέτως δὲ τῷ Ἀσκληπιῷ."

(93) P. v. Limburg Brouwer, l. c. p. 245. Cf. Böttiger, Kunstmyth. p. 54—59.

(94) Böttiger. Kunstmyth. p. 54—59.

nificatur: in Graecorum vero mythologia fere semper tanquam symbolum numinum beneficorum occurrit, uti etiam ex iis, quos mox enumeravi Deos, abunde patet; et hinc forte anguis Dei sanitatis quoque fuit symbolum (90). Apud Graecos adeo tanquam bonum symbolum habebatur serpens, ut ei nonnunquam cura tenellorum tradi crederetur (96). Praeter hanc generaliorem caussam, quare Aesculapio tribueretur anguis, duas imprimis speciales addere liceat, quare hoc symbolum ante omnes huic Deo fuerit proprium: nam fatendum est, serpentes nimis constanter cum Aesculapio occurrere, quam ut haec generalior caussa nobis sufficere queat. In praecedente capite ostendimus arctissimum vinculum, quod apud veteres erat inter vaticinationem et medicinam, adeo ut vates medicinam exercerent, et iidem, uti etiam oracula, potissimum de morbis consulerentur. Vidimus etiam veteres putantes artem vaticinandi ab anguibus tribui; haec anguium cum vaticiniis necessitudo etiam in oraculis perdurabat, et ipse draco sub tripode, quae erat Delphis, vaticinari dicebatur (97). Sic etiam apud Epirotas per dracones, quos a Pythone Delphico prognatos credebant, quique in luco Apollini sacro alebantur, Deus vaticinari credebatur, fertilisne et salubris annus futurus esset (98). Per similem draconis vaticinationem, quae in sacro luco juxta aedes Junonis in Latinorum oppido Lavinio statis diebus fiebat, de castitate sacerdotum virginum judicium ferri, narrat idem Aelianus ideoque, in fine hujus capite

---

(95) Observandum tamen est, praeter Graecos etiam alias gentes serpentem tanquam bonum symbolum venerasse: bonum daemonem (ἀγαθὸν δαίμονα) eum nuncuparunt Phoenices (Cf. Euseb. Praep. Evang. Lib. 1. c. 10. p. 41.).

(96) Pind. Olymp. VI. vs. 76 sq.

(97) Lucian. de Astrolog. c. XXIII. T. II. p. 370. ed. Reitz. 1743.

(98) Aelian. Hist. Anim. Lib. XI. c. 2. p. 609. Quotannis sc. die festo virgo sacerdos nuda sola accessit et victum draconibus porrexit; quam si placide adspexissent et alimenta prompte suscepissent, bonum erat omen, sin vero terribiles erga illam fuissent et alimenta non accepissent, contrarium futurum credebatur.

dicit, vaticinationis expertes dracones non esse (99). Quae quum ita sint, mirum non est, animal illud, quod symbolum ipsius artis vaticinationis habebatur, etiam attributum fuisse Deo medicinae, sive artis illius, quae imprimis vaticiniis niti credebatur. Et si ad rationem attendamus, qua in templis medicina exercebatur, scilicet per incubationem, Deo autem ipso incubantibus remedium indicante, cuivis in oculos cadet summa convenientia, quae certe initio erat inter hanc Asclepiadum medicinam ipsamque artem vaticinandi. Altera caussa, quare imprimis Aesculapio tribuerentur angues, forsan est ea, quam indicat Böttiger (100). Scilicet, quum fides aegrotantium, qui in templo incubabant, ut sibi in somno Deus appareret, per aliquod visibile signum esset corroboranda, ipse draco ille erat instrumentum idoneum, quo sua artificia peragere possent sacerdotes, quippe qui prodiret, prouti hoc ipsi sacerdotes vellent, aegrotantiumque oculos et aures lamberet, aliaque facere posset, quibus incubantium phantasia moveretur. Haec viri eruditissimi opinio optime confirmatur iis, quae servus Carion in Aristophanis Pluto narrat. Nam postquam Deus sibilo signum dedit, duo serpentes e templo prosiluerunt et Pluti caecutientis palpebras circumlingebant (1): quo facto visum recuperavit; quanti autem momenti serpentes essent sacerdotibus, ut aegrotantium fides firma staret, patet ex iis, quae ipse fecit Carion. Quum scilicet, exstinctis lucibus, omnes, qui in templo erant, dormire jussisset sacerdos et silere, siquis forte sibilum audiret, ipse Carion ollam vetulae cujusdam pulta repletam arripuit; quumque vetula manum extenderet, sibilatum anguis Paraei est imitatus, quo audito manum subito reduxit vetula (2).

(99) Aelian. Hist. Anim. Lib. XI. c. 16. p. 629. Cf. Propert. Lib. V. El. VIII. vs. 3—16.

(100) Böttiger, über der Aeskulapiusdienst, etc. in Sprengel's Beiträge. St. II. p. 173.

(1) Aristoph. Plut. vs. 732.

(2) Ibid. vs. 668 sqq.

Vetula ista certe sibilatum exaudiens credidit, Deum ipsum sibi proxime stare, ideoque prae metu manum statim reduxit; sacerdotes autem angues veros adhibuisse, ut incubantes eo magis crederent, ipsum Deum sibi apparuisse, per se improbabile non est. Hinc pseudomantis iste Alexander necessarium duxit, anguem secum ferre, quo magis vulgus iis, quae tanquam Aesculapii sacerdotem se quaerentibus respondisse dixit, fidem haberet. Huic Aesculapii sacerdotum scopo nullum animal aptius erat, quam ipse anguis: hic enim ab omni tempore et fere ubivis in usum vocarunt ii, qui magicis artificiis vulgum decipere volebant. Jam in sacris Codicibus (II. Mos. VII. 9.) narrantur magi Aegyptiorum angues mansuefactos adhibere, ut magicis artificiis apud regem populumque auctoritatem suam vindicent, et apud Strabonem Nearchus Indorum sacerdotum mentionem facit, qui erant serpentum incantatores et ita medicinam faciebant (3) Huc respicit etiam Virgilianum illud: »Frigidis in pratis cantando rumpitur anguis" (4). Si recentioribus fidem adjungamus, nostris etiam temporibus in illis regionibus serpentes mansuefacti occurrunt, quos ita domuerunt incolae, ut ad mensuram quandam saltent. Juxta Niebuhrium genera aliquot serpentum musicam amant, adeo ut, simulac tympani sonum exaudiant, caput attollant, quod incolae hujus regionis (Aegypti) saltare vocant (5).

(3) Strabo. Lib. XV. p. 1032. C. D. Idem etiam (Lib. XVII. p. 1169. B.) Psyllos in Africa memorat, qui vim quandam contra serpentes habebant. Dubitarem vero, an haec Psyllorum contra serpentes vis de incantatione sit intelligenda. Scilicet etiam Celsus de iisdem Psyllis loquitur, quippe qui pericula, quae ex morsu venenatorum serpentum imminent, ita averterent, quod vulnus exsugerent et ita et ipsi tuti essent et hominem morsum tutum praestarent. Spectat igitur haec Psyllorum contra serpentes vis eorum potius venenum, quam ipsa animalia (Cf. Celsus. Lib. V. c. 27. § 3. p. 253. ed. Targ.)

(4) Virgil. Bucol. Eclog. VIII. vs. 71.

(5) Niebuhr Reisebeschreibung. T. I. p. 189. Etiam Kaempfer (Amoenitat. Exotic. Fascic. III. obs. IX. §. II sq.) de anguibus saltantibus, qui in India reperiuntur, loquitur: incolae scilicet bacillo vel frustulo cujusdam radicis anguem ita irritant, ut mordere conetur; quo facto olla faciem animalis subito tegunt,

ım igitur non est, sacerdotes Aesculapii serpentes, quos ra sua mites descripsimus, etiam ad quaedam artificia escere potuisse.

t haec sunt, quae de ratione inter medicinam, quae in olis exercebatur, et inter angues in medium proferenda putavi. Haec mea qualiscunque opinio de ratione ea, fatear, eam certioribus argumentis egere, tamen majoprobabilitatem habet, quam aliorum multorum. Ad hos nent ii, qui eam ob rem anguem symbolum sanitatis dici endunt, quia ipsum hoc animal quotannis, pelle depoad pristinum revirescat vigorem (6). Alii, draconem symbolum Dei medicinae, dixerunt, quod animal sit antissimum, quae res ad tuendam valetudinem aegroti ime est apta (7): alii denique, quia non tantum acuendo i medicamentum repererit, sed etiam herbam aliquam candae vitae perutilem noverit (8); vel etiam quia multa psi inesse remedia credantur (9). Etiam recentiores as caussas attulerunt, quare numinibus beneficis serpens ueretur. Ita Cellarius eum plurium Deorum signum fuisse propter animalis hujus felicitatem, vigilantiam, salutem, ntiam; quam Cellarii opinionem jam Hundertmarck refut, dicens, se non satis assequi valere, quaenam sit sin-

---

ıorsum impediant: eadem operatio saepius repetitur, donec tandem a morsu ıt. Hoc quum quotidie iteretur, animal ad motum illum assuescit et denique absque olla saltat.

Schol. Aristoph. Plut. vs. 733. Macrob. Saturn. Lib. I. cap. XX. Cf. Eu-Praep. Evang. Lib. I. c. 10. p. 41., ubi etiam ζῶον πνευματικώτατον ır.

Festus de verborum significatione Lib. IX. p. 188 sq. (ed. Dacier. 1699.). (p. 124.) ipsum draconis nomen ἀπὸ τοῦ δρακειν, quod est videre, t. Scholiastes ad Aristoph. Plut. (l. c.) ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quia est ani-ὀξυδερκές.

Porphyr. ap. Euseb. Praep. Evang. Lib. III. c. 11. p. 112. D. Ibid. vocatur ἰατρικώτατον.

Plin. Hist. Nat. Lib. XXIX. c. 4.

gularis illa serpentis felicitas, et quae reliquae ejus narrantur virtutes (10). Sickler denique imprimis ad calidos fontes reperiri dracones, ait, ideoque merito esse Aesculapii symbola, quippe qui ipse esset symbolum aëris salutaris ex fontibus adscendentis (11). Cujus opinionem, quum in eo capite, ubi de Aesculapio heroe egi, jam refutaverim, ipsum ejus argumentum hoc loco tantummodo memoro, non refutabo. Praeter anguem etiam alia animalia Aesculapio tribuebantur, uti noctua et imprimis gallus; etsi, uti Bernardus de Montfaucon de gallo dicit, hic rarissime cum Aesculapii imagine compareat (12). Attamen gallus imprimis Aesculapio sacer fuisse videtur, quare etiam potissimum tanquam donarium Aesculapio consecrabatur (13); unde dictum illud Socratis, quum jam in eo esset, ut moreretur: »Aesculapio gallum debemus (14).'' Hinc etiam Schefferus locum illum Aeliani, ubi narratur Astarbes quidam ab Atheniensibus capitis damnatus, quia passerem, Aesculapio sacrum feriendo occiderat, ita explicat, ut vox στρουθὸς non de passere, sed de gallo gallinaceo sit intelligenda (15).

§ 27.

Jam inquiramus in medicinam, quae in Aesculapii templis exercebatur. Difficile est dictu, qualis in initio haec fuerit, cum ex veterum scriptis de prima hac Asclepiadum medicina non multum constet. Aristophanes enim, in cujus Pluto optima descriptio hujus medicinae occurrit, vixit, quo tempore jam philosophi artem nostram elaborare coepissent, et

(10) Cellarius, Orig. et Antiq. Med. c. II. §. 6. p. 10. Cf. Hundertmarck de Principibus Diis artis medicae tutelaribus. p. 16. sq.

(11) Sickler. l. c. p. 20. Cf. p. 13.

(12) Montfaucon, L'antiquité expliquée. T. I. P. II. 286. sq. tab. 187. No. 5

(13) Suid. in voce Ἀλεκτρυων. p. 102. ed. Kuster.

(14) Τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα. Platonis Phaedon. in fine

(15) Aelian. Var. Hist. Lib. V. c. 17. p. 430. ed. Gronov. Cf. annot.

ıa Hippocratica medicina jam esset exorta. Asclepiadum ›dicinam in initio non valde diversam fuisse ab illa, quae am belli Trojani tempore exercebatur, adeoque praesertim lustrationibus, sacrificiis et expiationibus constitisse, per improbabile non est. Expiationum earum vestigia etiam endimus in iis, quae recentiores auctores de Aesculapii ltu, qualis suo tempore erat, tradunt; quae licet omnes sanctitatem ipsius Dei Aesculapii pertinuisse videntur, amen hoc communi principio nitebantur, morborum sananem accipi non posse, nisi praegressis expiationibus pro ccatis antea commissis; nam ad ipsam incubationem nemim admisisse videntur Asclepiades, nisi sacros hos ritus perisset. In Aristophanis Pluto de balneo tantum est sermo (16); l observandum est, servum Carionem mulieri roganti ea aesertim narrasse, quae in ipso templo acciderant, obiter ntummodo mentione facta sacrorum illorum rituum, de quis eum non interrogaverat mulier. Imprimis autem ex Arislis orationibus et ex vita Apollonii Tyanensis, a Philostrato nscripta, nobis patet, cujusmodi ritus ipsam incubationem aecedebant. Ad hos imprimis abstinentia sive vini et caris, sive etiam aliorum ciborum pertinebat; quique hanc neexisset, ab Aesculapio, quippe cujus beneficiis esset indigas, negligebatur, eique nullum contingebat somnium (17): ujus abstinentiae caussam indicant philosophi, ut dicant, e animi aether eo impurus redderetur (18): jejunia, quae ısi imposuerat Deus, etiam memorat Aristides (19). Uniırse quibuscunque in locis sanationes fieri credebantur, licet ıec loca non Aesculapio, sed aliis numinibus essent sacra, junia illa erant observanda: sic qui ad Amphiarai oraculum

16) Aristoph. Plut. vs. 656.

17) Philostrati vit. Apollon. Tyan. Lib. I. c. 9. 10. p. 10. 11. (ed. Olear. Lips. 1709.)

18) Ibid. c. 8. p. 10.

(19) Aristid. Orat. Sacr. I. p. 491.

accedebant, ut ejus monitu morbis liberarentur, per triduum vino, et per viginti quatuor horas cibis abstinebant (20); et qui, ut sanarentur, in antrum Charonium, quod erat prope Plutonis et Junonis templum inter Tralles et Nyssam situm, veniebant, antea per complures dies absque cibo degebant (21). Quod autem ad balnea attinet, haec sive in mari, uti de Pluto apud Aristophanem legimus, sive in fluviis fontibusve fieri solêbant (22): apud Philostratum non solum de balneo, sed etiam de unguentorum usu est sermo: Apollonius et Jarchas scilicet caput unguento succinio inungebant, antequam templum ingrederentur, quo unguento adeo calefiebant, ut corpora fumum emitterent. Dein lavacro frigido utebantur et templum coronati ingrediebantur, hymnos cantantes; de hymnis illis verba faciens Philostratus de iis etiam loquitur, qui a Sophocle compositi Athenis in Aesculapii honorem canebantur (23). Aristides quoque carminum mentionem facit, quae a pueris, ut Deo placerent, canebantur: ipse autem Aristidem genu inclinato supplicare oportebat (24). Erant igitur et hymni cantandi et preces faciendae, antequam ad ipsum Deum accedere liceret. Denique etiam sacrificia Deo afferebantur, quae tamen ubique non eadem erant: nam cum Cyrenaici capras in Dei honorem mactarent, hoc Epidauri non fiebat (25), et Tithoreae quibusvis hostiis praeter quam capellis Aesculapii sacra fiebant (26). Haec omnia itaque praecedere debebant, antequam ad ipsum Deum admitterentur aegroti. Asclepiades vero cum ritibus illis religiosis etiam hunc scopum habebant, ut iis aegrotorum phantasia

(20) Paus. I. 34.

(21) Strabo Lib. XIV. p. 961. A.

(22) Aristid. Orat. Sacr. IV. p. 570. II. p. 530. Cf. I. p. 487: ubi Aristides oraculum interrogat, an praestet in mari, an in parva aqua lavari. Respondet oraculum: „In parva."

(23) Philostrati vit. Apollon. Lib. III. c. 17. p. 108. sq.

(24) Aristid. Orat. Sacr. IV. p. 585. sq.

(25) Paus. II. 26.

(26) Paus. X. 32.

commoveretur, iique aptiores fierent, qui in somniis Deum sibi adstare crederent: quantam vim jejunia in phantasiam exercerent, jam indicavit Sprengel (27); quae vis major etiam erat, cum tot alii sacri ritus jejuniis accederent. Praeter hanc psychicam utilitatem, quae certe sacerdotum potius, quam aegrotantium commoda spectabat, aliqua physica utilitate etiam non caruerunt; quae saltem de balneis et jejuniis quidem accipi potest, quae in locis salubribus aegrotantium curationem optime promovere debebant. Quod ad jejunia, comprobari videtur haec mea opinio exemplo juvenis illius hydropici, de quo narrat Philostratus; quem vino abstinere jusserant sacerdotes, quemque, quum id non fecisset et contra genio indulsisset et compotationibus vitam egisset, a Deo neglectum esse, dicit (28). Annon hocce in casu vini abstinentia simul diaeteticam utilitatem habuerit, praesertim, si hic de hydrope calido fuerit sermo?

§ 28.

Probabile est, jam inde ab initio in Aesculapii templis per incubationem (29) aegrotantes curatos fuisse; servus enim Carion in Aristophanis Pluto (30) dicit, sacerdotes Plutum decumbere *more solito* jussisse; et nonnunquam juxta ipsum Aesculapii simulacrum lectus erat positus (31). Neque mirum est, jam inde ab initio aegrotos, imprimis per incubationem Aesculapium sibi auxilium praestare, existimasse. Vidimus enim, antiquitus vaticiniis fere totam medicinam nisam fuisse; per somnia autem praesertim futura sibi praesagiri putabant homines. Quanti momenti somnia ab antiquissimorum temporum ho-

(27) Gesch. d. Arzneyk. T. I. p. 216.

(28) Philostrati Vit Apollon. Lib. I. c. 9. p. 10.

(29) Ἐγκοίμησιν Graeci dicebant. Cf. Joh. Henr. Meibom. Comment. in Jusj. Hippocr. p. 45.

(30) Aristoph. Plut. vs. 662.

(31) v. c. Tithoreae. Paus. X. 32.

minibus haberentur, ut ex iis de rebus futuris certiores fierent, ubivis horum temporum tum sacra, tum profana historia docet (32). Neque tum solum, sed etiam diu postea per somnia imprimis suam voluntatem cum hominibus communicare credebantur Dii; cujusmodi haec ab Immortalibus immissa somnia fuerint, ita describit Jamblichus: »Vel somno abeunte, cum jam incipimus vigilare, vocem brevem, quae quid sit faciendum doceat, audire videmur, vel inter vigiliam et somnum, vel cum plane evigilaverimus, voces audiuntur, quandoque etiam spiritus quidam non corpolentus, nec spectabilis tamen se jacentibus circumfundit, ita ut non oculis, sed alio quodam sensu et. perceptione sentiatur; venit enim cum strepitu et undequaque circumfunditur absque contactu, operaque praestat mirifica ad passiones animae corporis restinguendas. Aliquando vero lumen liquidum et tranquillum fulget, sub quo visus detinetur et connivet, antea patulus: alii sensus interea experrecti sunt persentiscuntque, quando Dii manifesto se ostendunt, et quae loquuntur aguntque concurrente animadversione percipiunt (33)." Ex hisce patet, quanti somnia ab illis, quorum firma stabat fides et quorum phantasia uno alterove modo fuerat excitata, existimarentur, adeo ut per haec sibi Deos apparere crederent.

---

(32) Optime vir Clar. SPRENGEL. (Pragm. Gesch. d. Arzneyk. T. I. p. 221. sq. ed. 1821.) indicat, quaenam somniorum vis sit apud incultos homines.

(33) JAMBLICH. de Myster. Aegypt. Sect. III. 1. 2. p. 60. Hoc loco Jamblichus discrimen facit inter somnia, quae divinitus missa, et ea, quae sola phantasia dormientis excitata dicit, quaeque modo vera, modo falsa quod ad eventum vocat. Haec somnia divinitus missa cum magneticis comparat doct. PASSAVANT (Untersuchungen über das Lebensmagnetismus und das Hellsehen. p. 276. sq.) de iis dicens: „und wenn wir die Erzählung der Thatsachen von den ihnen untermischten Erklärungen trennen, und z. B. statt dem erscheinenden Gott oder Genius das innere Licht der Seele, statt göttlicher Traüme clairvoyante Traüme setzen: so finden wir oft nichts, was von der Erfahrungen des Hellsehens in den neuesten Zeiten abweicht" Idem etiam (p. 196.) divinas patefactiones, quae Israëlitarum proavo Abrahamo fiebant, „clairvoyanten Traüme," et (p. 210.) Elisaeum prophetam „hellsehend" vocat.

Jure merito igitur Asclepiades incubationem adhibebant, ut etiam Deus Aesculapius aegrotantibus apparere crederetur, atque varias in praecedente §. enarratas caeremonias in usum vocabant, quibus eorum phantasia excitaretur, et creduli animo reputantes, quae durante die viderant, somnoque tandem correpti, per quietem etiam eundem Deum sibi adstare putarent, cujus mira potentia vigilantium cogitationes prorsus occupaverat. Hinc non solum in Aesculapii templis, sed universe, quibuscunque in locis sacris sanationes fiebant, per somnia divina aegrotantibus remedia patefieri credebantur. Sic qui Amphiarai oraculum, quod apud Oropios erat, quodque imprimis de morbis consulebatur, adierunt, post lustrationes arietem immolabant, cujus substrata pelle dormientes nocturna visa exspectabant (34). Eodem modo apud Aegyptios, qui ab Iside sanationes petebant, in hujus Deae templo incubabant: in somnis enim adsistens aegrotis remedia contra morbos subjicere dicebatur (35); uti etiam in Serapidis templo multi vel pro se vel pro aliis insomnia captabant (36). Quum ita praecipue per incubationem et somnia sanationes fieri crederentur, recentiori tempore in templis Aesculapii saepius Somni (37) vel etiam Somnii (38) signum ponebatur. Incubantibus ipse Deus apparebat (39), quem saepius filiae Jaso et Panacea concomitabantur (40), vel etiam Telesphorus (41) puerulus ille, qui in templis Aesculapii saepius simul cum ipsius Dei simulacro reperiebatur et plerumque in medio inter Aesculapium et Hygeam palliolo indutus effingebatur (42); quique a Per-

(34) Paus. I. 34. (35) Diod. Sic. Lib. I. c. 25. (p. 29. sq.)

(36) Strabo Lib. XVII. p. 1152. C. (37) Paus. II. 10.

(38) Aristid. Orat. Sacr. I. p. 483. Hoc loco etiam Fortunae mentio fit: quae cum Aesculapio colloquium habens etiamnum in nummis reperitur. Cf. Montfaucon, L'antiquité expliquée suppl. T. I. p. 177.

(39) Philostrati vit. Apollon. I. 7. p. 8.

(40) Aristoph. Plut. vs. 701. (41) Aristid. Orat. Sacr. III. p. 552.

(42) Aristid. Orat. Sacr. IV. p. 589. Cf. Montfaucon, o. c. T. I. P. II. tab. 186. No. 7. p. 286. Licet quidem, uti monet Gesnerus (Marmoris Casselani, quo

gamenis Telesphorus quidem, sed ab Epidauriis Acesius, et a Titanaeis Euamerion vocabatur (43). Quantum autem in his Aesculapii apparitionibus fides faceret, ex eo confici licet, quod iis,

---

Aesculapius, Hygea, Telesphorus celebrantur, explicatio; in comment. Societ. Reg. Gotting. T. II. 1752. p. 312. Cf. 310 sq.) vix sit, ut ex nummis didicerint antiquarii, nomen Telesphori cum illo pumilione Deo, qui in nummis occurrit, esse conjungendum, tamen, cum viderent ab Aristide (l. c.) hanc velut trigam Deorum medicorum constitui, sc. Aesculapium, Hygeam, Telesphorum, cumque apparerent tres figurae in nummis, Aesculapii et Hygeae, suis signis apertis manifestae: pronum erat suspicari, tertiam figuram eam esse Telesphori. Quam opinionem etiam iis, quae in dissertatione citata disputat, optime defendit ipse Gesnerus.

(43) Paus. II. 11. »εἰ δὲ ὀρθῶς εἰκάζω, τὸν Ἐυαμερίωνα τοῦτον Περγαμηνοὶ Τελεσφόρον ἐκ μαντεύματος, Ἐπιδαύριοι δὲ Ἀκέσιον ὀνομάζουσι.“ Adjectum illud »ἐκ μαντεύματος“ probat conjecturam, quam in medium protulit Gesnerus (l. c. p. 304.) sc. Telesphorum in Aesculapii et Hygeae societatem assumtum videri ob illud medicinae genus, quod caussis occultis contineri putabatur, qualia sunt oracula Deorum per insomnia, incantationes et verba potentia, annuli physici etc. Ad Cabiros eum refert Gesnerus idem, quibus olim sacra erat regio, quam Pergameni incolebant (Gesner. l. c. p. 305. Cf. Paus. I. 4.), quorumque mysteria etiam τελεσφορίαι vocabantur (Gesner. l. c. p. 302 sq. Cf. Apollon. Rhod. Argon. I. 915. et Schol. ad h. l.): scilicet ob bona, quae initiatis promittunt. „Perfectissimus sane hominum fuerit, si quis ea consequatur. Ad perfectionem ergo tendunt illi ritus: hinc vocantur τελεταί, τελεσιουργίαι, τελεσφορίαι; hinc τελεῖν *perficere* dicitur Mystagogus novos mystas, qui et τελεστής ac τελεσφόρος *perfector* vocatur.“ Vocem autem τελεσφόρος ab initio et jam apud Homerum *perfectorem*, *finitorem*, *consummatorem* significasse, indicavit idem (l. c. p. 299 sq.). Apud Suidam et Etymol. Magn. τελεσφόρος non solum est τέλειος, *perfectus*, sed etiam μάντις, ἐγγαστρίμυθος, *vates*, *ventriloquus*: quae significatio ad mysteria etiam respicere videtur. Caeteroquin Telesphorus noster — medicae superstitionis praeses Deus, ut eundem vocat Gesnerus — recentiori demum tempore cum Aesculapio conjunctus videtur; prodiit nempe apud Graecos Asiaticos, sub Hadriano, Pergami et in illa vicinia, sive tum primum excogitatus, sive ex mysteriis, in quibus enim adhuc delituisse suspicatur Gesnerus, prolatus sit (l. c. p. 304.). Hoc saltem patet, apud auctores, qui ante Pausaniam et Aristidem de Aesculapio scripserunt, de Telesphoro eundem concomitante mentionem non esse. — Sprengel, (o. c. T. I. p. 180.) Telesphorum eundem atque Aegyptiorum Harpocratem, filium Osiridis et Isidis habet, quem dein ab Aegyptiis acceperint Graeci. Filium Saturni eundem vocat Aristides (Orat. Sacr. I. p. 523), eique annulum, quem digito gestabat, tanquam sacrificium obtulit: eum reconvalescentium Deum vocat Bernardus de Montfaucon, (o. c. T. I. P. II. p. 290. Tab. 191.).

qui ante omnes mirificis Aesculapii sanationibus fidem habebant, Deus non solum per quietem, sed etiam vigilantibus apparebat, uti v. c. Philostratus narrat de Antiocho Sophista, qui noctes plerasque in Aesculapii fano agebat (44).

§ 29.

Attamen per se patet, ipsam sanationem, licet saepius ad illam efficiendam magnam efficaciam exseruerit phantasia aegrotantium, non sine remediorum ope effici potuisse, quae ut aegrotantibus indicarentur, sola phantasia aegre sufficeret. Igitur, etiamsi ipsa incubatio sacerdotibus esset summi momenti, ut scilicet aegroti crederent, se non naturali quadam ratione, sed potius mirifica a Deo Aesculapio peracta sanatos esse, tamen suspicari licet, sacerdotes incubatione illa et phantasia aegrorum solis non confisos esse, sed ipsos iis remedia indicasse ea, quibus opus erat, ita tamen ut hi pro certo haberent ab ipso Deo sibi medicamentum indicatum fuisse. Quae suspicio optime confirmatur iis, quae in Pluto Aristophanis legimus: ex tota enim narratione servi Carionis patet, hunc — sive potius Aristophanem — optime perspexisse, quanam via uterentur sacerdotes, tum ut suae famae consulerent, tum ut creduli illi, qui supplices ad Aesculapii templum accedebant, sanationem non naturalibus remediis, sed mirifico Dei auxilio adscriberent (45). Jusserat enim sacerdos, exstinctis lucibus, omnes dormire. Carion vero, minus credulus quam caeteri, non oculos clausos habebat, sed dormientem simulans per foramina pallioli videbat, Deum cum filiabus Jasone et Panacea morbos circum explorantem

(44) Philostrati vit. Sophist. Lib. II. vit. IV. c. 1. Cf. Maxim. Tyr. Dissert. XV. in fine. (T. I. p. 283. ed. Reisk.): „Vidi Aesculapium, sed non in somnis."

(45) Aristoph. Plut. vs. 662 sqq.

admodum composito et magnifico gradu omnia lustrare (46). Quis non lubenter eruditissimo Hecker assentiri velit, dicenti, hoc loco esse cogitandum de sacerdote aliquo Aesculapii, qui ipsius Dei insignibus indutus, comitantibus filiabus Jasonis et Panaceae speciem prae se ferentibus, aegrotantes lustrabat cum iis communicans, quaenam essent facienda, ut sanitatem recuperarent (47)? Ita et ipse servus Carion, cujus phantasiam non valde excitatam fuisse patet ex omnibus, quae in templo fecit et de Aesculapio ejusque filiabus dixit (48), censuisse videtur. Etiam rhetor Polemo non ita familiariter Aesculapio respondisset, si ipse credidisset, revera Deum consilium de curandi methodo, quae erat instituenda, dedisse. Quum enim — ita rem narrat Philostratus (49) — rethori illi morbo articulari laboranti consilium dedisset, ut frigido potu abstineret, respondit valde familiariter noster rogans: »Quid vero, o optime, faceres, si tibi bos esset curandus [qui scilicet a frigido potu arceri nequit]?" Tale quid non aliquem rogasse, cujus phantasia Dei admiratione excitata per quietem hujus Dei vocem exaudire putaret, per se est probabile. Quod de morborum exploratione ab Aesculapio habita dicit servus Carion, ad quoddam aegrorum examen spectare videtur; sed examen illud nimis obiter instituebatur, quam ut ex eo multum sacerdotibus de morborum natura innotescere posset. Attamen probabile est, plerumque accuratius quoddam examen ipsam incubationem antecessisse, et hac in re de Aesculapii templis idem valere, ac Strabo de Charonio antro expressis

---

(46) *'Εκεῖνος δὲ ἐν κύκλῳ τὰ νοσήματα σκοπῶν περιῄειν πάντα κοσμίως πάνυ.*

(47) Hecker, Gesch. der Heilk. Bnd. I. p. 59.

(48) Arripuit ollam vetulae cujusdam, quae dormitum in templum venerat, pulte repletam, quam ipse comedit. Quod cum fecisset, Deusque cum filiabus accessisset, pepedit impius servus: tum Jaso — ita narrat ipse — erubuit ob crepitum, et Panacea naribus compressis se avertit.

(49) Philostrati Vit. Sophist. Lib. I. vit. 25. c. 4.

verbis narrat, scilicet eos, qui horum Deorum (Plutonis et Junonis) curationi aliquid tribuant, eo commeare et victitare in pago prope antrum apud peritos sacerdotes (50). Certissime templis illud, quo secum victitabant aegroti, callidi sacerdotes adhibebant, ut saltem in chronicis morbis horum naturam indagarent, et tum in chronicis, tum in acutis aegrotorum diaetam simul curarent. Eodem munere, scilicet aegrorum examine, quo in Charonio antro ipsi sacerdotes, ad Aesculapii templa forsan ii fungebantur, quos Pausanias ejus servos, δούλους, ejusque ministros, οἰκέτας, vocat (51). Servi illi circum templum habitabant, ubi etiam ii, qui supplices (ἱκέται) ad Deum veniebant, morabantur (52): forsan fuerunt medici, quorum officium erat, tum aegrotantes, qui supplices ad Deum veniebant, observare, ut deinceps eo melius eos curare possent sacerdotes, tum iisdem curam habere, ne quid contra diaetam peccarent. Ita sacerdotes una alterave ratione de aegrotantium conditione certiores facti incubantibus adstiterunt, iisque remedia indicarunt, quae essent adhibenda: hi autem creduli, quorum phantasia per ea, quae praecesserant, admodum erat excitata, facile putabant, ipsum Deum per quietem adstitisse et remedia indicasse. Porro somniorum explicatio penes ipsos sacerdotes erat, uti Strabo de sacerdo-

---

(50) Strabo. Lib. XIV. p. 961. *A.* »παρὰ τοῖς ἐμπείροις τῶν ἱερέων.''

(51) Paus. X. 32. II. 11.

(52) l. c. » Ἔντος μὲν δὴ τοῦ περιβόλου, τοῖς τε ἱκέταις καὶ ὅσοι τοῦ θεοῦ δοῦλοι, τούτοις μὲν ἐνταῦθά εἰσι καὶ οἰκήσεις.'' Cf Paus. X. 32. » περιοικοῦσι.'' Minus recte Schulze (Histor. Med. Per. I. Sect. II. cap. IV. § 28.) servos illos sacerdotes vocat; a quibus illos probe distinguit Aristides (Orat. Sacr. I. p. 484.). Dicit enim, se aliquem τῶν ὑπηρετῶν videntem rogasse, ubi esset sacerdos (ὁ ἱερεύς). Eosdem etiam ab aedituis (οἱ νεωκόροι) distinguit: dicit scilicet, quum sibi ingens venaesectio a Deo esset imperata, neminem ex aedituis (νεωκόροι) nec ex Dei curatoribus (θεραπευταὶ) se vidisse aliquem, cui tam saepe erat vena secta, affirmasse Voces δοῦλοι, οἰκέται, ὑπηρεταὶ et θεραπευταὶ; autem eandem significationem habuisse mihi videntur.

tibus ad antrum Charonium dicit (53), quibus incubantes initiatioribus et consiliariis utebantur: saepe etiam officium illud erat traditum aedituis (*οἱ νεωκόροι*) sive sacerdotibus inferioris ordinis (54): ita sacerdotes semper somniis, sive quae revera aegroti habuerant, sive quae habuisse crediderunt, talem explicationem dare poterant, qualis cum ipsorum consiliis optime conveniret. Denique saepius ipsi sacerdotes pro aegrotis somniabant: ad antrum Charonium hoc plerumque accidisse videtur, quum *interdum* tantummodo ipsi aegroti propriis somniis relinquebantur (55): etiam aeditui pro aegrotis somniasse videntur, saltem Aristides mentionem facit cujusdam aeditui Philadelphi, qui idem atque ipse Aristides somnium habuisset (56). Aedituos illos clarissimus Sprengel eosdem habet; ac supplices (*τοὺς ἱκέτας*) (57): sed dubito, an recte ita fecerit vir clarissimus; equidem potius cum Schulzio (58) *τοὺς ἱκέτας* haberem eos, qui auxilii ad sanitatem recuperandam caussa Dei templum accesserant. Pausanias saltem *τοὺς ἱκέτας* non ad Aesculapii ministros referre videtur: de his enim dicit, eos circum templum *habitare* (59): illis vero erant aedes prope templum destinatae, tantummodo ut ibi *dormirent* (60); quod dormire sive illud ad ipsam incubationem sit referendum, sive ad noctes, quas ibi durante tempore aegritudinis agebant (*logeerden?*), certe minus recte eodem

---

(53) Strabo. l. c. „*μυσταγωγοῖς ὅ ὅμως, καὶ συμβούλοις ἐκείνοις χρῶνται ὡς ἂν ἱερεῦσι.*"

(54) Aristid. Orat. Sacr. II. p. 526. III. p. 556.

(55) Strabo. l. c. „*οἱ [ἔμπειροι τῶν ἱερέων] ἐγκοιμῶνταί τε ὑπὲρ αὐτῶν, καὶ διατάττουσιν ἐκ τῶν ὀνείρων τὰς θεραπείας.*"

(56) Aristid. Orat. Sacr. II. p. 524. (57) Sprengel. o. c. T. I. p. 227.

(58) Schulz. Hist. Med. Per. I. Sect. II. cap. IV. § 31. Cf. § 30. „Aesculapium consulendi causa adeuntes *ἱκέται* vocabantur."

(59) *Περιοικοῦσι.* Paus. II. 11. *τούτοις ἐνταῦθα εἰσι καὶ οἰκήσεις.*" Paus. X. 32.

(60) *Καθεύδουσι.* Paus. II. 27.

sensu atque *habitare* potest accipi. Ipsos aegrotantes *τοὺς ἱκέτας* vel *τοὺς ἱκετεύοντας* fuisse, etiam patet ex Philostrato, apud quem de Apollonio, Asclepiadum uno, legimus: »Apollonius quum Pergamum venisset, supplicibusque (*τοῖς τε ἱκετεύουσι*) Aesculapii suppeditasset, quid faciendum sit, ut somnia recte consulentia iis obtingant, multisque item sanitatem restituisset, etc. (61)" Supplices illi, quibus suppeditavit Apollonius restituitque sanitatem, non templi quidam erant ministri, sed revera aegrotantes, qui supplices ad Deum venerant, ut morbis liberarentur. Quod autem ad somnia attinet, quae ipsi sacerdotes eorumve aeditui pro aegrotis somniabant, hunc usum non solum tempore Aristidis, sed diu ante eum in templis Aesculapii viguisse, auctor nobis est Pausanias. Epidaurius enim Deus misit ad virum quemdam Phalysium, qui Naupacti, Phocensium urbe, habitabat, ex oculis graviter laborantem, Anyten quandam foeminam versibus faciendis insignem (62), cum tabulis obsignatis; eas per visum in quiete mulier accipere sibi visa fuerat; sed vero eventu res est comprobata; tenuit enim manibus jam vigilans obsignatas tabulas. Narratio haec, licet certissime superstitio multa ei addiderit, a veritate aliena, tamen hoc probat, jam tunc temporis non solum aegrotos pro semet ipsis incubuisse, sed saepius etiam sacerdotes eorumve ministros pro iisdem somniasse. Rem autem narratam antiquissimo quodam tempore accidisse, ex eo conficere velim, quod tempore Pausaniae templi illius, quod

---

(61) Philostrat. vit. Apoll. Tyan. Lib. IV. c. 11. p. 148.

(62) Paus. X. 38. »*τὴν ποιήσασαν τὰ ἔπη*." Suspicatur Kühn a. h. l. *τὴν ποιήσασαν τὰ ἔπη* fuisse mulierem *χρησμοποιὸν*, quae responsa Aesculapii in versus epicos redigebat; hujusmodi *χρησμοποιοὺς* praesto fuisse Aesculapio ejusque mysteriis etiam patet ex Luciani Alexandro Pseudomanti. Cf. Schulz. Hist. Med. Per. I. Sect. II. cap. IV. § 30. in annot. ubi auctor, postquam de *χρησμοποιοῖς* istis locutus est, dicit: »Nulla autem dubitandi caussa est, in reliquis templis eadem, quae hic instituta erant, aut non multum diversa viguisse."

post sanationem gratus Aesculapio erexerat Phalysius idem, nil nisi rudera supererant.

Vidimus igitur, sacerdotes aegrotantium curationem non eorundem somniis solis reliquisse, sed revera medicorum partes egisse: sed quomodo iidem prohibebant, quominus auctoritatem suam amitterent, quando infaustus exitus esset secutus? Certissime in iis casibus, in quibus eventus dubius erat habendus, talia responsa dederunt, qualia duplicem explicationem admitterent. Ita de Alexandro illo pseudomanti, qui in plerisque, quae fecit, imitatus est Asclepiades aliosque, qui oraculis praeërant, legimus: »Oracula fundebat et responsa dabat divina, multa hio prudentia usus et probabilitatem adjungens commentis suis, qui perplexa quibusdam et ambigua responderet ad interrogationes, aliis vero plane obscura; etenim hoc etiam ad oracula pertinere ipsi videbatur (63).“ Si autem datis responsis talibus ambiguis sanatio secuta esset, haec Aesculapio adscribebatur: si vero non reconvaluisset aeger, facile caussa erat ponenda in ejus fide non satis firma, vel etiam in eo, quod aliquid ex iis, quae jusserat Deus, neglexisset. Sic Carion servus in Aristophanis Pluto narrat, Deum Neoclidae cuidam coeco parasse medicamentum unctorium ex tribus capitibus alliorum Teniorum et Silphio et Scilla confectum, quibus immiscebat acetum Sphettium, quod oculis admovit: et ut dolor augeretur, vertit palpebras; quum vero hic aufugere vellet, dixit ridens Aesculapius: »Sede hic unctus ad hunc modum,“ dein eum insanatum reliquit (64). Probabiliter callidi sacerdotes jam antea intellexerant, coecum illum visum non recuperare posse, eamque ob caussam unguentum illud acre pararunt, ut aegrotus prae dolore aufugiens ipsis rationem sufficientem praeberet, ut dicerent, eum non fidem necessariam habere.

(63) Lucian. Alexand. Pseudomantis. c. 22. (T. II. p. 229 sq.).

(64) Aristoph. Plut. vs. 720 sqq. Cf. vs. 746.

Quae ab Apollonio haud minus adhibita est in casu, quem apud Philostratum legimus. Quum enim juvenis hydropicus, apud Apollonium questus faceret, quod Aesculapius sanationem, quam promiserat, non dabat, dixit ille: »Volentibus dat, tu vero ea facis, quae morbum pejorem reddunt" (65). Eidem Apollonio, quum in templum venisset homo, cujus oculus erat effossus, noctu apparuit Aesculapius dicens, hunc hominem e templo esse amovendum; eum enim esse indignum, qui vel alterum oculum retineret (66). Ita facientes in exitibus infaustis suae famae consuluerunt sacerdotes, unde factum est, ut, licet certe saepius unus alterve aegrotus insanatus abiisset, per multa saecula, etiam postquam rationalis medicina fuit exorta, maxima auctoritate apud vulgum gauderent. Quanta haec fuerit auctoritas, optime ex orationibus, quas composuit Aristides confici potest, qui ob sanationes, quas ab hoc Deo peractas credebat, Aesculapium ante omnes alios Deos esse invocandum dixit (67): quare et ipse eum noctes et interdiu privatimque et publice invocavit (68). Hunc Deum, dicit, universum gubernare et regere, omniumque esse conservatorem ac Deorum custodem, eundemque vocat gubernaculi praesidem, qui, quaecunque sunt vel fiunt, conservat: ab eoque se dicit non semel, sed saepissime quasi a morte esse suscitatum (69). Si tempore illo, quo vixit Aristides, adhuc tanta fides Aesculapio ejusque medicinae tribueretur, abunde patet, unum alterumve infaustum curationis exitum Asclepiadum auctoritati non magno detrimento fuisse.

---

(65) Philostr. vit. Apoll. Tyan. Lib. I. c.

(66) Ibid. Lib. I. c. 10.

(67) Aristid. Orat. Sacr. II. p. 513.

(68) Id. Orat. in Aesculap. p. 65.

(69) Ibid. p. 67 sq. Maximam etiam laudem Deo nostro tribuit Aelianus (de Nat. Animal. Lib. IX. c. 33. p. 515. ed. Gronovii.) eumque regem et hominis amantissimum inter omnes Deos vocat.

§ 30.

De medicamentis, quae Aesculapii sacerdotes aegrotis subministrabant, non multum pronuntiare possumus. Ex scena illa, quam saepius ex Aristophanis Pluto citavimus, conficere licet, ipsos etiam sacerdotes eorumve ministros medicamenta, quae aegrotantibus praescripserunt, praeparasse. Ibi enim dicitur puer mortariolum lapideum cum pistillo et capsula apposuisse, quorum ope sacerdos paravit unguentum illud Neoclidae coecutienti. Ita etiam in tabulis votivis, quas in insula Tiberina, ubi fuit templum Aesculapii, repertas illustravit Hundertmarck (70), saepius dicitur Deus aegrotantibus imperasse, cineres vel pini nucleos ex ara sumere, eosque vino, aliove vehiculo commistos tanquam medicamentum adhibere; uti v. c. de Lucio quodam dolore lateris affecto et de Juliano haemoptoico legimus (71). Veri est simile, sacerdotes cineribus vel pini nucleis istis aliquod medicamentum in iis casibus addidisse, in quibus hujus usum necessarium ducerent. Attamen saepissime verbis tantummodo aegrotantibus praescripserunt sacerdotes, quanam medicatione illis esset opus, iisque unum alterumve medicamentum commendarunt. De horum medicamentorum natura tamen non multum constat. Saepe allegorica ratione, sive ipsum remedium, sive medendi methodus praescribebatur, eodem modo, atque hoc etiam in mysteriis Aegyptiorum fiebat (72). Sic piperis nigri quoddam genus, quia mordet, vocabatur Indi mordaces (*Ἰνδικοὶ δάκνοντες*); et malum Cydonium ovis Cretica, quia *μῆλον* (malum sive pomum) etiam ovem (*πρόβατον*) significat etc. (73).

---

(70) Hundertmarck, De incrementis artis medicae per expositionem aegrotorum in vias publicas et templa. 4to. *Lips.* 1749.

(71) Vink, Amoenitates Philologico-medicae. p. 96.

(72) Plutarch. De Isid. et Osir. p. 366. ed. Hylandri. Cf. Jamblich, de Myster. Aegypt. Sect. VII. p. 150.

(73) Artemidor. Oneirocr. Lib. IV. c. 24. p. 214.

Ita etiam Nerito cuidam, nutricio Aristidis, dixit Deus, huic et ossa esse eximenda et nervos imponendos, quandoquidem ii, quos haberet, deficerent; cum vero Neritus ille magnopere esset sollicitus, ipse dixit Deus, non revera nervos nec ossa exscindi debere, verum ita magna curatione opus esse, ut ea, quae haberet Aristides, quasi in alia mutari viderentur (74). Medicamenta qualia fuerint, imprimis ex Aristidis orationibus docemur, qui multis verbis enarrat, quae mira in ipsum perfecerit Deus Aesculapius. Ea, quae huic viro praescribebantur, plerumque fuerunt ejusmodi generis, ut sanationes potissimum naturae medicatricis ope peractae videantur. Accepit v. c. Aristides purgamentum ex uvis passis, similibusque compositum (75), et amicus ejus Zosimus praeter spem convaluisse dicebatur, ptisana et lente purgatus (76). Interdum tamen magis activae erant naturae remedia: sic Deus Aristidem jussit absinthium cum aceto bibere (77); quod amarum remedium certe non ad ea pertinet, quae nihil faciant; verum utrum recte, an male fuerit praescriptum, non dijudicare ausim, cum omnes orationes Aristidis adeo manifesta documenta exaggerationis praebeant, ut de vera indole morbi difficile sit aliquid pronuntiare; quammaxime enim oblectabatur Aristides de aegritudinibus disserere, easque omnes singulatim enumerare, ut et fatigationes et itinera, quae perpessus erat, et quibus illas adscripsit (78). Videtur in casu illo, in quo absinthium fuit praescriptum, laborasse difficili respiratione (79); de caussa vero, e qua pendebat illa difficilis respiratio, nihil constat. Diaeteticam curam non neglexisse videntur sacerdotes (80), quod etiam patet ex eo, quod Aristidem catarrho laborantem jusserint, aquam bibere et vino abstinere (81). Porro, quemadmodum magna pars illius, quae in templis

---

(74) Aristid. Orat. Sacr. III. p. 552.
(75) Ibid. Or. II. p. 515.
(76) Ibid. Or. I. p. 503.
(77) Ibid. Or. II. p. 524.
(78) Ibid. Or. II. p. 535. sqq.
(79) Ibid. p. 514.
(80) Ibid. Or. IV. p. 572.
(81) Ibid. Or. III. p. 560.

exercebatur, medicinae aegrotantium fidei, quae nostro etiam tempore tanti momenti est medico, nitebatur, ita etiam callidi sacerdotes hanc fidem adhibuerunt, ut in aegrotantium mentem consiliis suis agerent, eorumque animos erigerent. Aristidem nostrum, qui, uti vidimus, non solum aegritudines suas exaggerabat, sed etiam phantasia sua sibi morbos, quibus revera non laborabat, tribuebat, quique cautissime evitabat omnia, quibus morbum augeri putabat (82), sanarunt longis itineribus, et cum — uti ipse dicit — vix respirare posset, dicere jusserunt et scribere (83): perinde ac si eundem vetarent, ne ita indesinenter de aegritudinibus veris vel simulatis cogitaret. Et hic conferri merentur, quae de Aesculapio Pergameno dicit ipse Galenus. Hic enim, cum dixisset, se quotannis aegros non paucos persanasse, solis animi motibus ad debitum modum revocatis, ita pergit: »Est vero non spernendus hujus sententiae testis ipsum patrium nobis numen Aesculapius, qui multas scribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri, et melodias quasdam instituit iis, quibus vehementiores animosae partis motus corporis temperamentum justo calidius efficerent. Aliis quibusdam, neque iis paucis, venari, equitare, atque armatos exercitari jussit, iisdemque statim tum motuum ipsorum speciem, utique quibus motus injunxit, tum armorum, quibus armatis exerceri praecepit, definivit. Non enim quo pacto excitetur erigaturque animosa pars, cum imbecilla sit, praecipere sat habuit, nisi eam mensuram illius ab exercitationum idea definiret (84).'' Ex hisce patet, sacerdotes Pergamenos aegrotantes, eos imprimis, qui morbo quodam mentali laborabant, methodo aliqua

---

(82) Orat. Sacr. III. p. 560. in fine.

(83) Aristid. Orat. in Aescul. p. 69. Cf. Orat. Sacr. IV. p. 573.

(84) Galen. de Sanit. tuend. Lib. I. c. VIII. p. 66. G. Class. II. ed. 9. ap. Junt. p. 131. D. ed. Gesner. Ὁ πατριὸς Θεὸς ἡμῶν Ἀσκληπίος est scilicet Aesculapius ille, qui Pergami adorabatur, uti jam antea indicavimus.

curasse quam maxime conditioni eorum respondente, scilicet eorum animos exhilarantes; quemadmodum etiam hypochondriacum Aristidem curare tentarunt ejus animum ab aegritudinibus avertendo; caeterum ex eodem loco patet, artem gymnasticam non plane neglexisse Pergamenos sacerdotes. Quae huc usque de Asclepiadum medicina dixi, licet nondum magnae scientiae medicae documenta praebeant, tamen probant, in plerisque casibus, quum fere omnia autocratiae naturae relinquerent, eosdem non nocuisse. Attamen idem, quem saepius citavimus, Aristides etiam stultissima, quin plane absurda narrat, quae praeceperant Aesculapii sacerdotes. Interdum catarrho laborantes jusserunt frigida aqua nudos lavare, vel alios gypsum, alios iterum cicutam bibere (85). Saepius Aristidem, licet jejuniis repetitis et diu protractis, quae in Aesculapii templo observaverat, magnopere debilitatum, vomere eique venam secari jusserunt (86); adeo ut Satyrus medicus quidam Pergami habitans, audiens, quoties Aristidi erat vena secta, hoc non amplius fieri juberet, ne corpus dissolveret: verum credulus Aristides de sanguine negavit se quidquam posse statuere, quia hac in re Deo esset obtemperandum (87). Eundem Pergamenus Deus jussit, in fluvio, qui prope urbem fluebat, lavari, idque media hyeme, cum boreas asper esset, ac glacies, lapillis ita continenter concretis, ut crystalli perpetuae speciem referrent; cui jussui obtemperavit noster, debilitatus ut erat, et dissuadentibus amicis, inter quos Heracleonte medico (88). Omnium vero absurdissimum erat praescriptum illud de ingenti venae sectione usque ad centum et viginti libras (89); quod tamen credulus Aristides ita explicavit, ut eo indicaretur, non exigua opus esse venae sectione. Ex dictis patet, difficile esse,

(85) Arist. Orat. in Aescul. p. 69.
(86) Id. Orat. sacr. I. p. 491. p. 501, 503. aliisque.
(87) Orat. Sacr. III. p. 550.
(88) Ibid. Lib. II. p. 520.
(89) Ibid. p. 530.

judicium ferre de Asclepiadum medicina; nam si ab una parte laudem cujusdam sagacitatis iis denegare non possumus, ab altera parte tamen tot stulta et absurda offendimus, ut cogemur hujus laudis magnam partem detrectare. Verum observandum est, haec omnia de medicina illa Asclepiadum valere, quae fere ducentis post Christum natum annis exercebatur, adeo ut cauti simus oporteat, ne ex his temere aliquid concludamus de conditione, qua inde ab initio fuerit medicina in Aesculapii templis. Probabile mihi videtur, hanc in initio certe non adeo activam fuisse, neque etiam jam tum artem gymnasticam et diaeteticam magnopere fuisse excultam: methodus expectativa forte potissimum fuit adhibita, cui accedebat usus unius alteriusve radicis, cujus virtutes medicae experientia fuerant probatae. Asclepiades artem plerumque infelici successu non exercuisse, etiam ex magna fide, quam Deo habuit Aristides tot saeculis, postquam prima Asclepiea fuerunt instituta, adeo ut diceret, se totum Deo esse deditum (90), confici potest. Tempore autem, quo vixit ille, a pristina sua simplicitate et probitate magnopere degenerati fuisse videntur Asclepiades.

§ 31.

Ex iis, quae in praecedentibus, §§ de Asclepiadibus, eorumque curandi methodo exposui, patet, a me sanationem, quae plerumque insequebatur, potissimum repeti a natura medicatrici, tum quoque ab arte empirica sacerdotum, denique etiam a phantasia ipsorum aegrotantium. Haec explicatio licet forte non ab omni parte satisfaciat, me judice, tamen quammaxime rationali medicinae nititur: saltem mihi persuadere nondum potui, medicaminum indicationem, quae incubantibus fiebat,

(90) Aristid. II. p. 521. Lubenter idem, Deo jubente, pharmacum quoddam, cujus odorem prius ferre non poterat, bibit (orat. Sacr. III. p. 558. Cf. p. 560.).

probare hic de conditione illa mirifica, quam voce Gallica *clairvoyance* vocimus, esse cogitandum, quacum multi fere ab eo inde tempore, quum primum Mesmerus animalem suum Magnetismum publicaverit, ad nostros usque dies incubationem compararunt (91). Imprimis Aristidem illum, quem saepius citavimus, in conditione, magnetico somno persimili, versatum esse contendunt, morbique historiam, quam ipse in orationibus suis tradit, diarium magneticum vocant (92): praescriptiones medicaminum autem, quas in somnio accepit, cum praescriptionibus (Selbstverordnungen) somnambulorum comparant (93). Jam videamus, an revera illae Aristidis praescriptiones conveniant cum iis, quas sibimet ipsi praescribent somnambuli. Dicuntur scilicet, qui in somno magnetico versantur, perfectiorem cognitionem accipere conditionis sui corporis et simul eorum, quibus status morbosus, in quo illud tunc temporis versatur, tollatur, ipsaque haec somnambulorum facultas comparatur cum voce naturae, qua et animalia inveniant ea, quibus aegritudinibus medela afferatur (94): quin

(91) Kinderling, Somnambulismus unserer Zeit mit der Incubation verglichen. *Dresd.* 1788. 8vo. — Dr. Johann Carl Passavant, Untersuchungen über den Lebensmagnetismus und das Hellsehen. 2e Aufl. *Frankf. a. M.* 1837. p. 291. „Eine besondere Aehnlichkeit mit dem Somnambulismus unserer Zeit hatten die Erscheinungen des Tempelschlafes, der Incubation. Man befragte die Orakel wegen Krankheiten; die Kranken selbst schliefen in den Tempeln, nachdem sie sich dazu durch mancherlei Ceremonien vorbereitet hatten. In ihren Traümen erkannten sie dann haüfig Heilmittel und schrieben dieses Erkennen der Eingebung des Gottes zu, dem der Tempel geweiht war. Oft hatten die Kranken nicht selbst die hellen Traümen, sondern die Priester, welche dieselben sodann den Kranken mittheilten, und diesen als Führer, Mystagogen und Traumdeuter dienten. Man könnte diese Priester mit consultirenden Somnambulen vergleichen."

(92) Passavant, o. l. p. 292. „Ein magnetisches Tagebuch." Cf. p. 296.

(93) Ibid. p. 297.

(94) Passavant. l. c p. 299. „Wie wir annehmen müssen, dass durch den Instinkt das Thier das ihm angemessene Nahrungsmittel erkennt, ohne vorher durch die Erfahrung belehrt zu seijn, so dürfen wir auch annehmen, dass durch einen ähnlichen Trieb, oder vielmehr durch eine nur modificirte Thätigkeit desselben Triebes das kranke Thier das ihm angemessene Heilmittel sucht. Wo aber das

sunt, qui ecstasin somnambulorum praecipuum fontem artis medicae, qualis in initio fuit, habent (95). Juxta hanc igitur comparationem praescripta illa, quae durante somno magnetico accipiuntur, perversa esse nequeunt; vox enim naturae animal ad nihil incitat, nisi quod ad ejusdem salutem tendat. At, si contemplemur ea, quae Deum Aesculapium sibi praescripsisse narrat ipse Aristides, videmus nonnunquam utilia quaedam, plerumque talia, quae non magnam efficacitatem exserere possent, sed aliquando etiam stultissima, uti v. c. vomitus illos repetitos et venaesectiones frequentes, et praesertim balneum illud glaciale et venaesectionem illam ingentem, de quibus cunctis in praecedente § sum locutus. Porro si tam claram contemplationem sui corporis conditionis adipiscantur somnambuli, ipse autem Aristides in somno magnetico versatus esset, quomodo tunc fieri potuit, ut, licet plus semel in Aesculapii templo incubationem habuerit, ejus conditio nihilominus eadem manserit, uti cuivis ejus orationes perlegenti perspicuum est? Denique quomodo tot verbis somnia sua narrare poterat Aristides, si somnambulus fuisset,

---

Vermögen eines unmittelbaren Wahrnehmung, was unbewustt im Thiere als Instinkt wirkt, mit Bewustseijn seine Gegenstand ohne aüssere Sinnesvermittlung erkennt, da ist dieses Wahrnehmen ein Hellsehen. — Bei Menschen und Völkern, in denen noch das Leben des Instinkts prädominirt, die also auf einer niederen geistigen Stufe stehen, wird das instinktartige Wahrnehmen von Heilmitteln das gewöhnliche seijn, und ein grosser Theil der Hausmittel des Volkes ist wohl auf diese Weise zuerst in Anwending gekommen. Wo aber, statt durch den Instinkt, durch dass Hellsehen der Mensch die Heilstoffe und ihren Bezug zum menschlichen Körper erkanntte, da musste auch eine viel bestimmtere Erkentniss der Arzneipotenzen entstehen." Cf. p. 53. sq. et p. 56. sq. Etiam Choulant, Ueber den animalischen Magnetismus. *Dresden*, 1840. p. 37.: „Man hat im gewissen Sinne richtig die Thiere „natürliche Somnambulen" genannt." Cf. p. 34. sqq.

(95) Passavant. l. c. p. 298. „Und bedenken wir, auf welche Weise der Mensch zu so mannichfachen, ihm oft ferne liegenden, haüfig seiner Natur widerstrebenden Heilmitteln gekommen ist, so können wir nicht umhin, das Hellsehen — als eine Quelle, ja als die vorzüglichste der ursprünglichen Heilkunde anzusehen."

cum in plerisque casibus — uti ipse auctor laudatus dicit (96) — omnium eorum, quae durante somno magnetico experiuntur somnambuli, postquam evigilaverunt, nulla memoria iis remaneat? Interdum quidem post somnium memoria retinent, quae in ecstasi viderunt; sed hoc ad exceptiones pertinet (97) adeoque non concedere possumus illud, quod hodie ad exceptiones pertinet, tunc temporis fere semper accidisse. At forte ex narrationibus sacerdotum haec, quae descripsit Aristides somnia, habuerit: verum in eo casu callidi sacerdotes aeque bene homini credulo ea narrare potuerint, quae ipsi excogitaverant, quam quae ille somniaverat. Quae quum ita sint, orationes Aelii Aristidis mihi potius argumenta praebere videntur tum credulitatis summae, phantasiae morbose excitatae, quam quidem ecstasis illius, quae somnambulis tribuitur. Minus etiam in incubationibus magnetismum obtinuisse patet ex iis, quae aliis in locis apud veteres auctores de medicina Asclepiadarum legimus. Non ex eo pro hac mea opinione argumenta petam, quod nusquam de manipulationibus magneticis in Aesculapii templis est sermo; nam lubentissime viro doctissimo Passavant assentior, dicenti, non opus esse, tunc temporis eodem modo, atque apud nos phaenomena magnetica prodiisse (98). Sed rogo, an v. c. in narratione ea, quam in Aristophanis Pluto habemus, aliquid reperiatur, quod suspicionem movere queat, sacerdotes magneticam ecstasin aegrotantibus excitasse? At forte dicat quis, Aristophanem hanc narrationem ita finxisse, quia ipse incubationi non magnam fidem habuit, adeo ut ejus verba nobis non satis firma argumenta praebeant, ut judicium de somno illo divino fera-

---

(96) Passavant, l. c. p. 95. „In den meisten Fällen bleibt von allem, was der Mensch im Schlafwachen erlebt, keine Erinnerung im Wachen." Cf. p. 148.

(97) l. c. *Bisweilen* jedoch ist der Vorhang, der die eine Hälfte unserer Existenz der andern verschliesst, durchsichtig, und die Erinnerung geht im wache Leben über."

(98) l. c. p. 293. „und es ist grade nicht nöthig, dass der magnetische Einfluss sich in derselben Form, wie bei uns, z. b. durch Manipulationen äusserte."

mus (99). Quid vero de colloquio isto ridiculo, quod cum Aesculapio habuit rhetor Polemo, uti nobis tradit Philostratus? Hoc saltem nihil continet, quo de magnetica ecstasi cogitare cogemur, sed multa, quibus credamus, ipsos sacerdotes per quietem aegrotantibus adstitisse. Ad exempla, quibus probetur per somnum magneticum indicationes medicaminum salutiferorum fieri, refertur etiam somnium illud Alexandri magni (100), quod ita narrat Cicero (1): »Ad aperta et clara veniamus, quale est — de Alexandro; — qui, cum Ptolemaeus, familiaris ejus, in proelio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore moreretur; Alexander assidens, somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, et simul dicere, quo illa loci nasceretur — ejus autem vim esse tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emisisse, qui illam radiculam quaererent: qua inventa et Ptolemaeus sanatus dicitur et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati."

Eandem rem etiam Strabo narrat, eo tantum discrimine, ut non de dracone, sed de homine loquatur, qui in somno adstitisse Alexandro dicebatur eique radicem ostendisse (2): adjicit

(99) Dicit doct. Passavant (p. 300.): »Erst in den letzten Jahrhunderten, in denen jene tieferen Kräfte der menschlichen Seele immer mehr bezweifelt, ja wohl gar gegen alle historische Zeugnisse völlig geleugnet wurden, glaubte man wie van Dale und Fontenelle, das ganze Orakelwesen einzig durch Priestertrug und Volkswahn erklären zu können; und man behauptete damit ganz keck, dass das geistreichste Volk der Erde und alle seine grossen Weisen, wie Pythagoras, Sokrates, Plato, Xenophon, u. s. w., viele Zeiten hindurch die betrogenen Spielwerke einiger verschmitzter Priester gewesen seyen." Exemplum Aristophanis (ut de Luciano taceam) probat hanc viri doct. observationem non ab omni parte valere.

(100) Passavant, l. c. p. 134. »Als eine Art des Fernsehens lernten wir bei den magnetisch Schlafwachenden auch das Auffinden von zweckmässigen Arzneimitteln kennen. Als Analogon führen wir eine Traum Alexanders des Grossen an."

(1) Cic. de Divinat. Lib. II. c. 66.

(2) Strabo. Lib. XV. p. 1052 sq. »ἐν ὕπνῳ δὲ παραστάντα τινὰ τῷ Ἀλεξάνδρῳ, δεῖξαι ῥίζαν αὐτόπρεμνον."

etiam narrationis explicationem; »verisimile est," inquit, »aliquem eam rei peritum regi indicasse: sed adulationis gratia adjuncta est fabula." Videmus itaque, nobis ad explicandum mirum istud Alexandri somnium minime somnambulismo quodam opus esse, sed jam ipsos veteres miracula illa, quomodo naturali ratione fierent, perspexisse. Me judice in promtu est, quemadmodum ipse Strabo in hoc Alexandri casu remedii indicationem perito cuidam homini tribuit, etiam medicaminum patefactionem in Aesculapii templis, peritorum sacerdotum calliditati potius, quam magneticae ecstasi adscribere: phantasiam autem aegrotantium saepius in curationem perficiendam magnas quoque partes egisse, jam indicavimus. Et liceat hoc loco verba viri clarissimi Choulant, ubi de incubatione loquitur, exscribere, quippe quae lubentissime mea faciam (3): »Dass dabei mancher fromme Betrug mitunterlief, dass man nicht leicht einen Kranken, der Hülfe hier gesucht hatte, ohne Rath entliess, dass man durch alle Mittel die Ehre des Gottes und des Tempels zu retten suchte, ist gewiss; denn dieser Asklepieien waren durch ganz Griechenland viele zerstreut und sie wetteiferten mit einander an Ruhm, die Heilkräftigsten zu seyn. Wir sehen etwas Aehnliches an den Gesundbrunnen unserer Zeit, in welchen gewiss die Reise, die veränderte Lebensweise, die Hoffnung auf Genesung eben so viel Antheil an dieser hat, als die Quelle selbst. Und wie ganz anders wurde in jenen Tempeln die Hoffnung erkräftigt, die Phantasie erhoben, die Heilthätigkeit der Natur lebendig gemacht, als an unsern Gesundbrunnen, wo Alles darauf hinaus kommt, heute einen Becher mehr und

(3) Ludw. Choulant, o. l. p. 12. Cf. etiam p. 11, ubi auctor de Asclepiadarum remediis dicit: »Es waren aber nur bekannte Volksmittel, und häufig mochte wohl der Schlaf selbst und die Hoffnung auf Genesung das eigentliche Heilungsmittel sein. Oder der heilkundige Priester musste dem unbedeutenden Traume des Kranken die nöthige Auslegung geben, denn tüchtige Aerzte ihrer Zeit waren jene Asklepiaden."

morgen einen weniger zu trinken. Der Kranke trat, von seiner Reise angekommen, in den oft weiten Umkreis, der die heilige Flur des Tempels, das *ἱερον* umschloss, er befand sich auf dem eigentlichen Gebiete des Gottes, dem Glauben nach in seiner unmittelbaren Nähe; die Priester empfingen ihn, führten ihn nach mancherlei Vorbereitungen — in das Innere des Tempels. — Feierliche Reinigungen, Opfer und Umgänge erfolgten, und erst nach allen diesen Vorbereitungen ward er würdig befunden, im Innern des Tempels den prophetischen Schlaf zu schlafen, von welchem all sein künftiges Lebensglück abhängen und in welchem ihn der Gott persönlich besuchen sollte. Wie hätte nicht in solcher Umgebung der Schlaf etwas eigenthümliches haben sollen; wie hätte nicht jetzt, wo alle Geisterkräfte des Kranken auf seine Krankheit und seine Genesung gerichtet waren, die heilkräftige Natur erwachen und ein heilender oder wenigstens rathender Traum erfolgen sollen? *Deshalb ist zweifelhaft, ob wirklich magnetische Behandlung dabei statt fand;* das Uebrige war schon hinreichend, den gewünschten Zweck zu erfüllen." Juxta virum clar. igitur de somnambulismo in incubationibus non est cogitandum; et hoc viri clarissimi testimonium eo majoris est momenti habendum, cum ipse non ad eos pertineat, qui phaenomena magnetismi animalis omnino negant, adeo ut accusari nequeat, quod ex praejudicata opinione ita judicaverit. Non quidem ad eos pertinet, qui, uti doctissimus Wohlfarth, dicunt, somnambulos consuetudine uti cum daemonibus (hoherer Geister) et ita de rebus futuris praesagiri posse, eosque de natura mundi universi et corporis humani perfectissimam cognitionem habere (4); neque ad eos, qui fidem tribuunt omnibus iis, quae de somnambulis narrantur, eos, v. c. legere digitorum apicibus et plexu solari, aliisque istius modi fabulis (5), neque etiam negat vir cla-

(4) Choulant, l. c. p. 27.

(5) Choulant, l. c. p. 38. cf. p. 31.

rissimus tum fraudes cujusvis generis hac in re esse commissas, tum quoque multos absque fraudis consilio alios in errorem duxisse, in quem ipsi inciderant (6). Sed neque fraudes, neque errores, quae hac in re obtinuerunt, inducere potuerunt virum clar., ut ideo omnia phaenomena, quae magnetismo tribuuntur, negaret, ipsamque hanc potentiam omnino non exstare contenderet: phaenomena ea contra, quae cum legibus naturae non pugnant, depositis omnibus praejudicatis opinionibus, accipiens eorum explicationem proponit juxta ea, quae nos huc usque docuit et physiologia et psychologia simul, existimans, in examinandis phaenomenis illis non oportere nos legibus scientiae nosmet ipsos tanquam adversarios opponere, verum, iis potius tanquam amicos adstare, nos decere (7). Optime vir clarissimus, quid de magnetismo ejusque phaenomenis esse cogitandum ipse credat, hisce verbis indicat (8): »Die Erzählungen der Magnetiseure sind es freilich am wenigsten, die uns die Ueberzeugung aufnöthigen; wir haben aber an den Erscheinungen der *Nervenkranken* und *Geisteskranken* und namentlich an den Erscheinungen des von selbst eintretenden *Nachtwandelns*, des Idiosonambulismus, so auffallende und ganz parallel laufende Erscheinungen, dass wir die durch animalischen Magnetismus hervorgebrachten an sich nicht bezweifeln durfen; wir haben dabei nur gelernt, dass man jene Erscheinungen auch *künstlich* hervorbringen könne, namentlich durch die magnetischen Manipulationen. — Wenn also weit früher, als der animalische Magnetismus bekannt war, diese Erscheinun-

(6) Choulant, l. c. p. 30: »Von absichtlicher Taüschung liegen die offenbarsten Beweise im Menge vor, Betrügereien aller Art sind geübt, ja die seltsamsten, zum Theil verbrecherischen Zwecke sind hier verfolgt worden. — Auch an unschuldigen, wenigstens unabsichtlichen Taüschungen ist die Geschichte des animalischen Magnetismus reich; die aufgeregte Phantasie hat zu wachenden Traümen verholfen, die man lange Zeit als Wahrheit uns vorführte."

(7) Choulant. p. 33. sqq.

(8) Ibid. p. 31.

gen schon beobachtet sind, warum will man sie bezweifeln, wenn sie auf magnetische Behandlung folgen? Warum will man sie in dem einen Falle leugnen, in den andern glauben, je nachdem der Berichterstatter wechselt? Aber nur fur *neu* wollen wir die Sachen nicht halten, denn neu ist nur die genauere Kenntniss, ihrer Erregungs- und Entstehungsweise und die Kenntniss der Mittel, durch welche sie erregt werden; *neu* ist es, dass jeder ungescheut es unternimmt, diese krankhaften Zustande in gesunden Menschen zu erzeugen, während man sie fruher als Unglück und schwere Schickung ertrug, und wenn es anging, zu heilen suchte. *Neu* ist, dass in einigen Worten, die man hin- und wiederwürfelt, ohne sich etwas dabei zu denken, z. b. Pole, Nervenäther, Gangliensystem, jeder das Geheimniss gefunden zu haben glaubt, diese Vorgänge zu erklären, wahrend man in den ärztlichen Schulen selbst sich an eine Erklärung dieser Vorgange gar nicht oder nur furchtsam wagt. *Neu* ist, dass man in den abentheuerlichsten Visionen der Kranken und Schlafenden eine reelle und objective Wahrheit sucht, und sie den Erkennungsweisen des wachenden Verstandes als höhere Offenbarungen gegenüberstellt, während man sie fruher als reine subjective Erzeugnisse, wie die gesichte eines Fieberkranken ansah."

§ 32.

Post sanationem non solum Deo sacrificia obtulerunt aegrotantes, sed muneribus etiam templa donarunt: hunc usum jam inde ab initio viguisse, patet ex iis, quae de Phalysio dicit Pausanias (9): simile quid etiam aliis in locis, ubi sanationes fieri credebantur, obtineri patet ex iis, quae de

(9) Paus. X. 38. In tabulis, quas Phalysio attulit Anytes, erat scriptum, Asclepiadibus bis mille nummos aureos esse solvendos.

Amphiarai oraculo narrat idem (10). Huc etiam pertinet mos ille, quo ii, qui morbo aliquo fuerant sanati, imagines membrorum illorum, quibus aegrotaverant, ex auro, argentove vel ebore confectas, in templis tanquam donaria votiva (ἀναθήματα) suspendebant. Talia donaria votiva ipse Hippocrates, juxta Pausaniam, in templo Apollinis, quod erat apud Phocenses, suspenderat (11). Probabile est, ad haec donaria votiva etiam pertinuisse ossa ea, quae insigni magnitudine Asopi in gymnasio templi Aesculapii asservabantur (12). De donariis votivis quoque, quae tum viri, tum mulieres a Deo sanati, huic consecrarunt, loquitur (13). Attamen donaria illa non semper imagines membrorum illorum, quibus aegrotaverant sanati, fuisse videntur; certe templum illud Aesculapii, quod erat in insula Co, narrat Strabo, fuisse donariis votivis plenum (ἀναθημάτων μεστὸν), in quibus erat Apellis Antigonus; ibique etiam fuisse Venerem e mari emergentem (14). Haec certissime ad membra aegrotantia, ex metallo confecta, non pertinent, sed potius universe ad opera a peritis artficibus composita. Quemadmodum donaria illa votiva in honorem Dei in templis asservabantur, ita et mirae, quas perfecerat, sanationes in templi columnis inscriptae memoriae tradebantur, ut cuivis templum ingredienti innotesceret, quam salutaris esset Deus Aesculapius. Tempore Pausaniae tales columnae sex adhuc in templo Epidauri supererant, in quibus virorum et foeminarum, qui a Deo erant sanati, nomina erant incisa, cum morbis, quo quisque laboraverat, et curationis ratione (15). Huc pertinent etiam tabulae votivae, quarum mentio est apud Strabonem, quibusque templum Epidauri,

(10) Paus. I. 34. Quicumqne oraculi monitu morbo erant levati, in fontem, qui illo loco erat, aurum argentumve signatum abjiciebant.

(11) Paus. X. 32.

(12) Ibid. III. 22.

(13) Aristid. Orat. in Aesculap. p. 69. οἱ μὲν ἀπὸ στόματος οὑτωσὶ φράζοντες· οἱ δὲ ἐν τοῖς ἀναθήμασιν ἐξηγούμενοι."

(14) Strabo. Lib. XIV. p. 972. A.

(15) Paus. II. 27.

ut et illud, quod in Co et Triccae erat, fuit refertum (16): mos autem ille etiam in Isidis templo viguisse videtur (17). Tabellarum illarum aliquot in insula Tiberina prope Romam, ubi fuit templum Aesculapii, sunt repertae, quas primus Gruterus exscripsit, et Hundertmarck collegit (18). De medicina vero Asclepiadum ex hisce tabulis, quae adhuc supersunt, non multum confici licet, nisi forte illud, quod maximam, partem curationis autocratiae naturae reliquerint, et quod plerumque aegrotantes mala sua valdopere aggravarint: quam ob rem cum erud. Hecker eas non magni momenti habeo (19). Dolendum est itaque, quod earum plures ad nos non pervenerint, quo in casu ex iis forte aliquid de Asclepiadum medicina, ejusque conditione possimus conficere. Majoris saltem momenti fuisse videntur tabulae illae, quae in templo Aesculapii, quod in Co erat, asservatae fuerunt, siquidem Hippocrates, uti Strabo narrat, ex illis composuerit illa, quae ad victus rationem spectant (20).

§. 33.

Tabulae votivae et inscriptiones in columnis, uti et donaria votiva sacerdotibus etiam hanc utilitatem habuisse videntur, ut iis adspectis aegrotantium fides augeretur, quum discerent, quanta esset Dei potentia. Huc spectarunt etiam festa illa, quae in memoriam beneficiorum a Deo praestitorum magna cum pompa iis in locis celebrabantur, ubi erant Aescu-

(16) Strabo. Lib. VIII. p. 575. *A.*

(17) Tibull. Lib. I. El. 3.

„Nunc Dea, nunc succurre mihi: nam posse mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis."

(18) Cf. Sprengel. o. l. p. 229. sqq. ubi earum interpretatio in linguam Germanam reperitur. Cf. Mercurialis, de Arte Gymnastica. Lib. I. c. 1.

(19) Hecker, o. l. p. 62. in annot. „Die in Rom auf der Tiberinsel aufgefundenen sind ohne erheblichen Werth."

(20) Strabo. Lib. XVI. p. 972. *A.* Cf. Plin. Lib. XXIX. c. 1.

lapii templa (21). Epidauri haec festa quovis quinto anno die nono, postquam ludi Isthmii inceperant, locum habebant; ab Epidauriis autem illa Argivi acceperunt (22). Festa illa imprimis facium gestationibus (δᾳδουχίαις) erant insignia, ludisque gymnicis ac poëtarum certaminibus, qualia etiam Alexander ad urbem Solos peregisse narratur (23). Festorum in Aesculapii honorem celebratorum, hominumque ad ea confluxus mentionem facit etiam Aristides (24). Ad festa illa pertinuit etiam illud baculi assumtionis vel elationis (ῥαβδου ἡ ἀνάληψις), quod quovis anno in Co magna cum pompa celebratum fuisse, patet ex Epistola ad Abderitas, quae Hippocrati inscribitur (25), ubi de festo illo, tanquam de re aliqua, quae fieri solebat, est mentio. Fuerunt, qui putarunt, hanc rem dimanasse a serpente aeneo pro salutari contra mortiferos serpentes remedio Israëlitis in deserto exaltato (26). Majorem tamen veri speciem habere mihi videtur opinio, quam in medium profert Schulzius (27), scilicet anniversario sacro sacerdotium Aesculapii primarium ad alium, quam qui priore anno fuerat illo functus, fuisse delatum; honorisque traditi acceptique symbolum fuisse τὴν ῥάβδου ἀνάληψιν, baculi assumtionem; quod a Graeci sermonis indole non alienum

(21) De festis illis cf. Hundertmarck, de Diis principibus artis medicae tutelaribus, p. 25 sq. — Meibom. Jusjur. Hippocr. c. V. § 19. p. 43. ibique citatum Polluc. Onomost. Lib. I. Sect. 1. c. 32.

(22) Schol. in Pind. Nem. III. vs. 145. Cf. Paus. II. 26. in fin. Philostr. vit. Apollon. IV. 18.

(23) Arrian. Exped. Alexandr. Lib. II. c. 5. p. 68. (ed. Gronov.), Cf. Curt. Lib. III. c. 7. § 7. De facium gestationibus cf. Günz, de δᾳδουχίαις in sacris Aesculapii, in Ackermann, Opusculis ad historiam medicinae pertinentibus. *Norimb.* 1797. p. 85. sq.

(24) Aristid. Or. T. 1. p. p. 546. (25) Hippocr. Oper. ed. Foës. p. 1274.

(26) Spanhemii Epist. I. ad Morellium. p. 69. Cf. Cellarius, Orig. et antiq. Med. c. II. § 7. p. 12.

(27) Hist. Med. Per. I. Sect. II. cap. IV. § 26. in annot.

esse credit (28). Talia festa, quum Dei beneficia ejusdemque potentiam in memoriam revocarent, apud vulgum Asclepiadum auctoritatem auxisse veri est simile.

§ 34.

Magnam etiam exinde auctoritatem sibi compararunt sacerdotes, quod ab ipsius Aesculapii progenie originem duxisse credebantur, cujus scientiam tanquam generis sui symbolum aliquod conservabant (29). Haec de Asclepiadum origine opinio omnibus veterum fuit acceptum, neque omni veri specie est destituta. Vidimus enim, non solum filios Aesculapii, sed etiam ejusdem nepotes artem medicam exercuisse eoque insignes fuisse, quin et unum eorum, Alexanorem, antiquum illud Aesculapii templum, quod Titane erat, condidisse. Ipsam autem artem medicam sacerdotes in initio filiis suis tantummodo tradiderunt; postea etiam iis, qui mysteriis hisce fuerant initiati, sed aliorum nemini (30). Haec omnia, magnam probabilitatem huic veterum de Asclepiadum origine opinioni addunt: ex quanam enim familia potius Aesculapii sacerdotes crearentur, quam ex ipsius herois posteris, qui omnes adeo arte medica erant insignes, ut compluribus eorum

---

(28) v. c. ἀναλαμβάνειν τὸ διάδημα, σκῆπτρον. Cf. Plutarch. de Isid. init., qui την ἀνάληψιν ἱερῶν susceptionem officii sacerdotalis dicit.

(29) Aristid. Orat. in Asclepiad. p. 80. Hinc etiam Plato (de republica, Lib. X. p. 464.) dicit, Aesculapium ex prognatis discipulos sumsisse. Cf. et Philostr. vit. Apollon. Lib. III. c. 44. p. 132.

(30) Hippocr. Jusjur.: "Ὄμνυμί — πάραγγελίης τὲ καὶ ἀκροήσιος, καὶ τῆς λοιπῆς ἁπάσης μαθήσιος, μετάδοσιν ποιήσασθαι ὑιοῖσι τέ ἐμοῖσι, καὶ τοῖσι τοῦ ἐμὲ διδάξαντος· καὶ μαθηταῖσι συγγεγραμμένοις τε, καὶ ὡρκισμένοις νόμον ἰητρικῷ. ἄλλῳ δὲ ὀυδενί." Ejusd. Lex. in fine: "τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται· βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης."

post mortem divini honores tribuerentur? Et quemadmodum ipse Aesculapius ejusque filii artem cum prognatis imprimis communicaverant, ita et posteri eam tanquam bonum haereditarium servabant. »Atque ex ea ratione factum est, ut artis medicae studium in una Asclepiadarum familia per annos plus mille floruerit, liberis semper parentum vestigiis insistentibus et avitae artis possessionem conservantibus. Eadem ratione factum, ut, qui medicinam hominibus facerent, ἰατρῶν παῖδες, medicorum filii, dicerentur, medicique multi vel propterea magni fierent, quod ex Asclepiadis ortum ducerent (31).''

(31) Joh. Henr. Meibom. Comment. in Jusjur. Hippocr. cap. XII. p. 101.

PARS TERTIA.

Conclusio.

§ 1.

Ex iis, quae in duabus prioribus partibus diximus, patet, apud veteres summam inter religionem et medicinam exstitisse necessitudinem tum apud eos, qui unum Deum, tum apud eos, qui plures adorabant Deos. Uti Israëlitae Jehovae suo irato pestem caeterasque aegritudines adscripserunt, ita et Graeci aliique, qui plures habebant Deos, Jovem vel Apollinem suum iratum vel quemcunque alium Deorum Dearumve sibi morbos immittere credebant. Et quemadmodum existimabant Hebraei, hanc Jehovae iram imprimis excitari ob Hujus cultum neglectum vel etiam eo, quod hominum major, quam Ipsius Dei auxilio fides esset habita, ita et pagani, quemque Deum potius contumelias ipsi allatas, quamquidem ipsam malam actionem punire putabant. Jam Hesiodus dixit, saepe universam civitatem poenas dare pro iis, quae unus tantum vir peccaverat, et plura ex iis, quae attuli, exemplis, quibusque, ne longior essem, alia non addidi, abunde probant, haec verba de ira non Jovis solum, sed de aliorum quoque Deorum valere. Simile quid aliquando etiam apud Israëlitas offendimus: quum enim pestis illa populum sub regno Davidis regis infestaret, ipse populus nullum peccatum commiserat contra Jehovam, quo sibi tam grave contraxissent malum, sed unus tantummodo peccaverat rex: attamen fatendum est, in hoc casu proprie non illos, qui morbo

perierint, puniri existimatos esse, sed regem ipsum, cujus populus tam gravi malo vexabatur. Et quum Palaestini, quia arcam divinam retinuerant, morbo podicis afficerentur, morbus ille iis minus immissus videtur, ut pro peccato aliquo punirentur, quam quidem ut nomen Jehovae vindicaretur. Quae licet ita sint, tamen abunde patet, et eos, qui unum Deum, et reliquos, qui plures adorarent Deos, uno ore ac consensu morborum, tum epidemicorum, tum sporadicorum originem divinam existimasse. Hinc etiam imprimis sacrificia in usum vocabantur, ut numen iratum placaretur: et hac in re etiam summa convenientia inter utramque religionis formam obtinet, uti etiam ex rerum natura sequatur, necesse est: a quonam enim potius peterent, ut morbo liberarentur, quam ab ipso, a quo eundem immissum credebant, numine: quin et, an ulla magis rationalis medicina veteribus posset excogitari, quam haec, quae ab ipso Deo petebatur? Inde etiam est factum, ut, quemadmodum de morborum exitu vates suos et postea oracula Pagani, ita consulerent Israëlitae prophetas, qui arctiori cum ipso Jehova consuetudine gaudebant. Licet itaque universe inter illos, qui unum, et reliquos, qui plures adorabant Deos, summa locum habeat convenientia, quod ad opiniones, quas de arcta illa inter Deum ejusque cultum et medicinam necessitudine habebant, tamen variae etiam occurrunt differentiae, quae ex ipsa religionis formae diversitate necessarie sequuntur. Monotheismus medicos Deos, quales in Polytheismo plures descripsimus, non admittebat: hinc Ipse tantummodo, qui immiserat morbos, invocabatur Jehova, neque vero alius quidam, qui *ἀλεξικακος*, *ἀποτροπαιος* vocatus praesertim morborum curam suscepisse credebatur, etiamsi eorum auctor ipse non fuisset. Hinc etiam apotheoseos illius, qua Graeci caeterique Pagani eos, qui viventes de medicina bene meruerant, in Deorum numero recensuerunt, cuique ipsum principem Deum medicum Aesculapium suum debebant, apud Hebraeos nullum vestigium offendimus, quamdiu patrio Deo obtemperabant. Quam arcte

tamen apotheosis illa cum Polytheismo cohaereat, ex eo confici licet, quod, siquando patrum religionem reliquerant et impiorum Chananaeae incolarum Deos acceperant, etiam iis rebus divinos honores tribuerent, quarum auxilio se antea ab aegritudinibus liberatos fuisse, credebant, uti v. c. aeneo serpenti, quem Moses in deserto fecerat, quemque postea contudit rex Ezechias (1). In capitibus iis, in quibus de sacerdotibus et prophetis egimus, nullam sufficientem rationem esse ostendimus, quare statuamus, apud Israëlitas sive prophetas, sive sacerdotes medicinam practicam exercuisse; licet quandam inter eosdem et medicinam exstitisse necessitudinem, non negaverimus. Sed longe major erat haec necessitudo apud illos populos, qui plures adorabant Deos, apud quos sacerdotium et vaticinium et ars medica, omnia conjuncta simul uni viro erant tradita, iidemque, qui tanquam sacrorum antistites Deorum voluntatem interpretari credebantur, de iis quoque consulebantur, quae ad morbos curandos essent facienda; quin et quum caeterae doctrinae non amplius a sacerdotibus solis, sed imprimis a philosophis colerentur, per multa tamen saecula ars nostra solummodo erat penes eos, qui Aesculapii, Isidis, aliorumque numinum ritibus praeërant. Celebris erat illa curandi methodus incantationum ope, qua utebantur medici apud illos, qui plures adorabant Deos, et haud minus altera ea, quae eandem mox insecuta per incubationem in Deorum fanis ab aegrotantibus vel ab ipsis sacerdotibus habitam fiebat: quibus methodis tamen naturale quoddam medicamentum plerumque accessit, cui ipsa sanatio erat tribuenda, nisi haec potius per vim naturae medicatricis efficeretur. Apud Israëlitas contra harum methodorum nihil offendimus. Siquando prophetae sanationes perficerent, haec plane erant mirificae, saepius uno verbo, quod divino spiritu inspirati pronuntiabant, peractae, absque incantationibus aliisque artificiis. Ex sacris Codicibus nobis

(1) II. Reg. XVIII. 4.

non liqnet, quanam methodo sint usi ii, qui apud Hebraeos medicorum fungebantur munere, adeo ut aliquid certi de ea pronuntiare non valeamus; attamen nulla est caussa, quare eam per incantationes aut incubationes factam esse credamus. Ad incantationem saltem non eam fidium pulsationem, qua David Sauli melancholiam saepius sanasse dicitur, referet, qui non ignorat, quamnam in morbos mentales sanandos habeat musica efficaciam, cogitatque, non tanquam medicum apud regem arcessitum esse Davidem, sed solummodo ob famam, quam sibi pulsandis fidibus comparaverat, adeoque potius tanquam remedium. Et quod ad incubationem attinet, hujus rei certissime nobis testis non est Strabo, dicens iis, qui apud Judaeos caste ac juste vivunt, bona somnia offerri; debere itaque et pro se et pro aliis eos dormire in templo et a Deo subinde aliquid boni atque indicii exspectare (2); quippe qui non de aegrotantium somniis, sed de iisdem universe loquatur; quod tamen etiam si fecisset, nobis nondum sufficiens argumentum praeberet, ut statueremus, incubationes apud Israëlitas obtinuisse, siquidem eodem loco de hoc populo res quam maxime cum veritate pugnantes narrat idem Strabo.

§ 2.

Utrum arctissima illa necessitudo, quae apud veteres erat inter religionem et medicinam, huic profuit, an potius impedivit, quominus bene elaborari posset? Quod ad Hebraeos attinet, jam indicavimus, Theocratiam iis non impedimento fuisse, quominus artibus scientiisque universe et medicinae spectatim operam darent, adeo ut apud eos infaustam vim in artem nostram certe non exercuerit religio. Quin et quum ex legibus Mosaïcis multae, licet equidem easdem plane medicas pronuntiare non ausim, utilitate quadam physica non caru-

(2) Strabo. Lib. XVI. p. 1104. „Ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους."

erint, ritus religiosi apud Israëlitas, si recte fuerint observati, eorum corporum sanitatem simul induxerunt; quam ob rem Hebraeorum religioni vis salutaris in medicinam politicam denegari nequit. Haec vis salutaris quidem necessario modo non ex Monotheismo ipso, sed potius ex Theocratia, qualis apud Israëlitas erat, sequebatur: sed quum ex veteribus una Hebraeorum gens unum adoraret Deum, non potest, quin in indagando, quamnam in medicinam exercuerit Monotheismus vim, ea afferamus, quae apud hanc gentem invenimus. Neque in Polytheismo arti nostrae ejusque exercitio adeo infausta erat arctissima inter religionem et medicinam necessitudo. Si enim homines, Diis immortalibus aegritudines suas adscribentes, omne remedium neglexissent, quippe qui putarent, contra voluntatem divinam ab hominibus nullum esse sperandum auxilium, merito religio veteribus diceretur impedimento fuisse, quominus apud eos ars medica exerceretur. Sed ipsa haec necessitudo effecit, ut ab iis auxilia peterent, qui omnium maxime erant apti ad sanationem perficiendam, scilicet a sacerdotibus, qui in initio forte ob ipsam scientiam, qua ante aequales excellebant, famam erant consecuti arctioris consuetudinis, qua cum Diis uterentur, cui famae eosdem munus sacerdotale debuisse, per se est probabile. Ipsi autem sacerdotes, ut famam illam servarent, pro viribus suis et pro tempore, quo vivebant, medicinae studium certe non neglexerint; et si potissimum sacros ritus, incantationes aliaque ejusmodi in usum vocabant, et aegrotantes magicis potius artificiis, quam naturalibus remediis sanare videbantur, hoc iis minime opprobrio esse potest. Nam, ne dicam, ipsos sacerdotes in initio saltem sacros illos ritus ad hominum morbos sanandos summi momenti habuisse, aegrotantes certissime nullis aliis remediis, quam ipsis hisce magicis fidem tribuissent, adeo ut sacerdotes, etiamsi naturalibus remediis uterentur, essent coacti sacra illa mysteria tanquam praecipuam curationis partem peragere, quemadmodum et nostri medici saepius, si aegrotantis phantasia morbose est excitata, pia quadam fraude utuntur, ut

sanationem bene perficiant. Hoc etiam de primis Asclepiadibus valet, qui, uti et ipse Aesculapius incantationes adhibuit, in initio saltem jure merito mysteria imprimis adhibebant. Attamen in eo sunt damnandi Asclepiades, quod hanc methodum tum quoque servabant, quum reliquarum scientiarum non amplius prorsus essent ignari aequales, adeoque jam rationali cuidam medicinae essent apti, quin quod et multis saeculis, postquam haec ipsa rationalis medicina ab Hippocrate ejusque sectatoribus fuit instituta, variis artificiis adhibendis, quin et interdum stultissimis et periculosissimis dandis consiliis vulgi credulitate abutebantur; cujus rei argumenta multa ex Aristidis orationibus attulimus. Haec fere sunt, quae bona aut mala huic inter polytheismum et medicinam necessitudini sunt tribuenda, quod ad Asclepiadum aequales attinet. Quod autem ad posteros, institutio illa Asclepiadum, qua artem suam non nisi cum prognatis vel initiatis communicabant, impedivit, quominus ex eorum observationibus ii, qui postea magis rationali modo medicinam elaborabant, eamque digniorem reddebant, quae scientiae nomine ornaretur, magnum emolumentum caperent. Attamen si verum est illud, quod de Hippocrate narrant auctores, eum scilicet ex tabulis votivis, quae in Coörum templo erant, composuisse ea, quae ad victus rationem spectant, certe medicina ea, quae in templis exercebatur, non omni utilitate in elaborandam medicinam rationalem destituta est censenda; idque eo minus, quod cauta naturae observatio in Asclepiadum medicina maximam partem egisse, eademque philosophorum speculationibus immunis fuisse videtur. Neque etiam aliorum observationes neglexisse Asclepiades videntur, siquidem quicunque, experientia edocti, salutares effectus alicujus medicamenti essent experti, hoc in limine aedis Aesculapii inscribere solerent (3). Hac ratione saltem medicinae illi, quae empirica vocatur, quaeque jure me-

(3) Plin. Lib. XX. c. 24. — Cf. Aët. Tetrabibl. II. Serm. 3. c. 113., ubi Adrianus invenisse narratur in templo Ephesiorum inscriptionem, qua aurifex quidem memorat collyrium, cujus ope gravi oculi affectione fuerat sanatus.

rito antiquissima habetur, profuerunt Asclepiades; variis vero scientiis illis, quae hodie in bono medico requiruntur, iidem operam non dabant, ad quas imprimis pertinet anatome corporis humani. In hanc elaborandam infaustam vim exseruit religio, quum ejus placita homines eo ducerent, ut dissectionibus corporis humani quam maxime abhorrerent. Credebant enim, mortuorum animas cis Stygem circumerrare, donec corpora defunctorum essent sepulta vel combusta (4). Haec opinio populo adeo erat sacra, ut Athenienses sex duces navales, licet de Spartanis in bello Peloponnesiaco victoriam reportassent, capitis damnarent, quia corpora eorum, qui in mare fuerant immersi, non debita cura collegerant (5): quin et victoris officium esset, curam habere, ut hostium corpora sepelirentur (6). Quam religiosam veterum opinionem anatomae quam maxime impedimento fuisse, nemo erit, qui neget. Neque etiam mos ille, qui apud Aegyptios erat, ut cadavera condirent, anatomes studio aliquid profuit, siquidem et apud eos corporis humani dissectio adeo in horrore esset, ut in paraschistem, sive eum, qui primam faciebat incisionem, lapides jacerent ii, qui huic operationi intererant (7).

Et haec sunt, quae brevia in hac tertia parte addenda esse putavi iis, quae in prioribus duabus partibus fusius in medium protuli de necessitudine illa arctissima, quae tum inter Monotheismum, tum inter Polytheismum et medicinam erat apud veteres. In qua pertractanda si longior fuisse videar, peto a benevolo Lectore, ut juveni veniam dare non neget. Dixit enim jam Gesnerus: »Antiquissima fuit religionis, superstitionis, magiae, cum medicina societas: de qua pauca dicere, quam multa difficilius est (8).''

(4) Homer. Il. Ψ. 70. sqq. (5) Xen. Hist. Gr. I. p. 448.

(6) Diod. Sic. Lib. XVI. c. 86. Cf. Lib. XV. c. 35. (7) Ibid. Lib. I. c. 91.

(8) J. M. Gesner. in Comment. societ. Reg. Götting. Tom. II. 1753. p. 304.

T A N T U M.

THESES.

I.

Si morbus foemineus (θήλεια νοῦσος), cujus mentio est apud Herodotum (Lib. I. c. 105.) idem sit habendus, ac morbus Scytharum, de quo sermo est apud Hippocratem (*De aëre, locis et aquis*, p. 293. ed. Foes.), probabile est, in eo affectionem cum corpoream, tum mentalem adfuisse, adeo tamen, ut corporis affectio mentis alienationem praecesserit.

II.

Ratio, quae inter partes periphericas et centrales systematis nervei existit, optime comparari potest cum ea inter vasa sanguifera et cor; adeo ut in utroque systemate partes centrales fontem constituant, unde exit actio, partes periphericae tamen passive sese non habeant.

III.

Electricitas et vis nervea eaedem non sunt, sed possunt secum comparari.

IV.

Jedes scharf ausgesprochene Temperament begründet schon eine widernatürliche Krankheitsanlage. — Gmelin.

V.

In curandis morbis valet Boerhaavianum illud: »Abstine, si methodum nescis.''

VI

Recte Celsus (Lib. III. c. 1.): »Longus [morbus], quo recentior, eo facilius curatur:" sed minus recte idem: »acutus, quo vetustior."

VII.

Je mehr Mittel gegen eine Krankheit, desto unsicherer ihre Behandlung. (Schönlein's *Allgemeine und Specielle Pathologie und Therapie, herausgeg. von einigen seiner Zuhörer*. 1839. Th. II. p. 9.)

VIII.

Venena acria per os ingesta non solum ex gastritide mortem inducunt.

IX.

Recte Sijdenham: »Opium sedat;" recte tamen et Brown: »opium excitat."

X.

Symptomata nervosa, uti vocantur, quae in decursu peripneumoniae nonnumquam sese palamfaciunt, qualia sunt deliria, temulentia, aurium susurrus, pulsus minimus, tremulus, anxietas, optime methodo antiphlogistica curantur.

XI.

Ex irritatione continua et humorum amissione febris hecticae symptomata melius, quam ex puris absorptione explicantur.

XII.

Licet phthisis tuberculosa non sit morbus insanabilis, tamen pulmones in statum integritatis non restituuntur.

XIII.

Quae ex auscultatione pleuritidis signa petuntur, qualia sunt aegophonia et absentia soni respiratorii in latere affecto, ad

morbi exitum potius, quam ad morbum ipsum pertinent; adeoque assentiendum est viro clar. PRUYS VAN DER HOEVEN de horum signorum vi diagnostica dicenti: „Quae certe, nisi ad omnem attendamus symptomatum syndromen, minus tuta deprehenduntur."

XIV.

Pleraque, quae traduntur, hydrothoracis chronici symptomata ejusmodi sunt, ut suspicionem tantum moveant, adesse hunc morbum: nulla autem certa hujus morbi signa, nisi quae ex auscultatione et percussione petuntur.

XV.

Si post cadaveris sectionem eorum, qui obierunt ex morbo eo, qui angina pectoris dicitur, valvularum ossificatio simul cum hypertrophia ipsius substantiae cordis reperitur, haec potius pro effectu illius, quam quidem pro ipsius morbi caussa proxima est habenda.

XVI.

Ex vitiata sanguinis crasi optime morbi illius, qui chlorosis vocatur, symptomata explicantur.

XVII.

Anatome pathologica diversissimas morbi formas ad similes caussas referre didicit: exemplo sint encephalomalacia et gangraena senilis, quae saepius simili caussae, sc. arteriarum ossificationi, nituntur.

XVIII.

De ophthalmiis haec valet regula: gravitatem inflammationis minus indicari dolore eo, qui in ipso oculo, quam quidem eo, qui in partibus circumjacentibus haeret.

XIX.

Si in cranii fracturis quaestio proponatur, quaenam curandi methodus sit instituenda, ut gravia symptomata, quae san-

guinis extravasatum in eo casu concomitari solent, evitentur, utrum methodus antiphlogistica strictior, an trepanatio, haec certe est praeferenda.

XX.

Caussa proxima, quae mortem subitaneam aliquando iis inducit, quibus vis externa abdomini est allata, saepius comparari potest cum ea, quae commotionem cerebri provocat.

ERRATA.

p. 38. lin. 14. praeputiata — l. praeputiati.
» 53. » 14. Hos — l. Has.
» 119. » 17. annot. (66) — l. annot. (67).
» 132. Annotationibus addenda est: annot. (20) Il. *B*. 732. Ἰητῆρ' ἀγαθώ.
» 151. annot. (92) silaneis — l. si laneis.
» 174. lin. 4. (90) — l. (95).
» 25. capite — l. capitis,
» 178. » 6 et 7. jam refutaverim, ipsum ejus argumentum hoc loco, — l. jam refutaverim ipsum ejus argumentum, hoc loco.
» 180. » 17. ipse — l. ipsum.
» 187. » 4. templis — tempus.
» 191. » 1. Quae — Quae agendi ratio.
» 199. » 13. phantasiae — l. tum phantasiae.
» 205. » 11. loquitur — l. loquitur Aristides.
» 206. ann. (18). Germanam — Germanicam.